



118.

F. o. 115. X.^c

S. N. D. B. 21
Dei Simia, Diabolus,
sive,
Cacozelia Gentilium,
Sacris ipsorum plurimis demonstrata,
&
Publicæ censuræ exposita,

PRÆSIDE
Viro Clarissimo, & Excellentissimo,

DN. JOHANNES
MICHAEL DILHERRO,
M. Oratoriæ, Historiarum, &
Poëseos Professore Publico longè ce-
leberrimo, & Facultatis Philosophicæ h. t.
Decano Spectatissimo, Præceptore ac Patro-
no suo æternum devene-
rando,

à
M. JOHANNES FABRICIO,
Noribergensi.

D. Januar.

J E N Æ

Typis ERNESTI STEINMANNI,
Anno M DC XL.

*Quo in Germania Amica sum
ratisimo, cum officio admitteret
Præses*

S. M. D. R.
D. C. M. A. S. S. I. A. S.
C. A. S. S. I. A. S.

Epistola de ...
P. ...

V. C. ...

M. JOHANNES FABRICIUS

MICHAEL DILLERUS

M. G. ...

...

...

...

M. JOHANNES FABRICIUS

Nordbergensis

D. Januar.

...

...

...

...

...



V I R O

Magnifico, Nobilissimo, & Amplis-
simo,

DN. ULRICO GRUNDHERRO,
inclytæ Reipublicæ Noribergensis
Triumviro splendidissimo, & Academia
Altorphinae Scholarchæ primario ac
benemerentissimo,

Domino meo unicè colendo.

S. D,

Postem heic
ritè teneo, & differ-
tatiunculam, utcun-
que sacris plenam,
hactenus tamen nemini sacram,
Tibi, Vir Magnifice ac Nobil. ceu
ἀνάθημα terrestri Numini, in Mne-
mosynes templo, stans oransq;
suspendo consecroque. Et cui
potiùs? Sive enim, quæ pridem

A 2 po-

posuisti, micantia præclaræ eru-
ditionis & prudētix vexilla con-
tuear; non reperio, qui hæc qua-
liacunque Te magis æstimet:
sive adfectus erga Parentem
olim meum testati igniculos co-
gitem, quos nec sub cineribus
ipsius refrigescere pateris: quin
novis subinde singularis in me,
licet immerentem, benevolen-
tiæ nutrimentis excitas; qui hæc
tantilla sereniore vultu accipiat,
non succurrit. Caligulam refert
Svetonius, cum sibi, tanquã Deo,
immolari voluisset, phœnico-
pteros, pavones, tetraonas, numi-
dicas, meleagridas, phasianas re-
quisivisse; aves nempe excogita-
tissimas, quæ palato suo saperent.
Non eadem Tibi mens est, Vir
Magnifice: quod novi; & nî id
no-

novissem, quæ frontis meæ im-
becillitas est, nunquam fortassis
hunc ingenii mei abortum po-
tius, quàm foetum, Tibi insinuas-
sem. Sed Tu, Pater Patriæ, uti be-
nefaciēdo cōfertim Deum æmu-
laris; sic in propitia quoq; modi-
ci muneris acceptione eundem,
sat scio, æmulaberis, quem nosti
si illa etiam interdum placari:
mihiq; indulgebis, ut, qui aliàs
quotidie pro tua incolumitate
Sacrificium precationis instau-
ro, hisce Calendis, cū thura nō
habeam, farre tosto & sale sparso,
hoc est, quoquo modo possim, in
Te religiosus sim; saltem, ut ani-
mum, beneficiorum tuorum cu-
mulo exundantem, ingenua de-
biti professione quadantenus ex-
onerem. Accipe igitur, Magnif.

A 3

ac

ac Nobiliss. Vir, à cliente humili-
mo, munusculum hoc levidente,
in vicem strenæ: meq; sub favo-
ris Tui umbraculis leniter deli-
tescentem, deinceps quoq; fove-
re perge; ac de me vicissim hoc
Tibi certò pollicere, firmiter pe-
ctori meo insedisse, quod Ara-
bum fertur adagio: *Quicquid in
manu servi est, Domini eius esse.*
Ita Vale, Vir Magnifice, Deo, Pa-
triæ, Familiæ, mihi denique, &
bonis ac litteratis omnibus,
quàm felicissimè, quàm diutissi-
mè. Dab. ex illustri Atheneo Je-
nensi, prid. Calend. Jan. A. S.
M DC XL.

Magnif. Nobil. ac Amplit. T.

devotissimus cultor

M. Johannes Fabricius,
A. & R.

Meo

Meo

Johanni Fabricio , Norimbergensi ,
Phil. M. & S. Theol. cultori accuratè
intento & diligenti,

Amico exoptatissimo ,

S. D.

FUIT Tibi, Amicissime Fabrici, jam olim
exploratissimum, quod scribit Basilius,
re & nomine Magnus, in oratione ad juve-
nes, de utilitate Scriptorum Ethnicorum.
*Profanae disciplinae & ornamentum, & adiuven-
tum quoddam non parvum adferunt, cum in ex-
plicatione, tum in propagatione doctrinae caelestis.*
Quamobrem cum Huic, tanquam doctrina-
rum omnium Dominæ, Te devovere totum
constituisses: istas non negligendas, sed ex-
quisitè prius legendas esse & intelligendas,
existimasti. Et cum ætas Te maturescens ad
sacræ artis, & supernarum potestatum con-
templationem vocaret: subsecivis tamen &
subsecundariis temporibus, quibus animus,
interstitutione graviorum curarum datâ, laxa-
ri indulgerique solet, subinde respectantem,
& oculos ad humaniorum litterarum amœ-
nitates, per intervalla Te reflectentem de-
prehendi. Hinc nata Tibi observationum
pulcerrimarum sylva: ex qua hanc veluti

A 4 fa-

fasciculum de Cacozelia decerpisti; quam
tanta quidem industria atque accuratione,
à nullo nostri seculi viro, nedum tuæ ætatis
juvene, descriptam, omni adseveratione ad-
firmo, idque jam nunc apud Te subsigno.
Nonne dicam Patris tui, Theologi de Eccle-
sia Norimbergensi præclarissimè meriti, os-
sibus

-- -- *tenuem & sine pondere terram,*
spirantesq; crocos, & in urna perpetuum ver
obtigisse; quòd talem post se reliquerit Te
filium, qualem etiam eligere voluisset, nisi
genuisset. Morum depravatio locum fecit
Proverbio: *Ἡρώων παῖδες κακ' ἐλέγχεα.*
Ita enim plerique vivunt, ut parentum glo-
riâ suam exordiantur ignominiam, & furo-
rum instar, alienis incubent subsidiis: at Tu,
quasi virtutem Patris adversariam nactus, eo
ipso, quo vulgus passim gloriatur, onerari Te
putas, si vita degeneri exempla domestica
deturpes. Verè & ubertim evenit, quod invi-
dendus Germaniæ Præceptor, Philippus
Melanchthon, Proavo tuo, Johanni Fabri-
cio, Ecclesiastæ Norimbergensi primario, in
litteris familiarissimè ad ipsum scriptis, præ-
dixit: *Familiæ tuæ Deus benefaciet.*


Non possum ego quicquam adprecari ma-
jus, quàm ut Deus Optimus Maximus, Spiri-
tu

tu Sapientiæ Te porrò ducat & gubernet, & lætum ac fidentem aliquando ad Matrem tuam, spectatissimam matronalis dignitatis sceminam, reducat: ubi Patres nobilissimæ Patriæ prudentissimi par ingenio tuo præciū ponant, tuisq; dotibus Athenas suas exor-
nent.

Nunquam Fabricio desit generatio iusta:
nunquam Fabricio benedictio cœlica desit.
Jenæ IX. Kal. Febr. Anni MDCCXL.

Johannes Michael
Dilherrus.

Epistola nondum antea
excusa Philippi, cujus
facta mentio, hæc est.



*Reverendo Viro, Eruditione & Virtute
præstanti,*

Dn. JOHANNI FABRICIO, docenti Evange-
lium in Ecclesia Dei, in inclyta Urbe Noriberga,
Conterraneo & Fratri suo carissimo.

*S. D. Reverende Vir & Amice carissime nu-
meri sunt Græci Poetæ; sed sententia divini-
tus tradita est:*

Ἐυσεβέων παιδεύσι τὰ λώια, Δυσσεβέων
δ' ἄ.


A r Psal-

Psalmus autem sic inquit: *Generi rectorum*
benedicetur. Cùm igitur & rectè invocēs
Deum, & fideliter doceas Ecclesiam: familie tue
Deus benefaciet. Nuper, cùm hic esset David fi-
lius tuus, ita sum ejus oratione delectatus, in qua
lucebat ingenii bonitas; ut tibi gratularer talem
filium. Spero etiam senectæ tuæ hunc filium Jo-
hannem, auditorem nostrum, voluptati fore.
Rectè didicit doctrinarum initia, & mores ejus
sunt honesti. Si ad Ecclesiæ doctrinam adjun-
geret studium artis Medicæ, rectè faceret; nec
impediretur studium doctrinæ de Deo, & haberet
honestum & odior vitæ. De Oslandri præ-
stigiis extat mea brevis, & neq; incogitanter, neq;
contumeliosè scripta responsio: nec disjungo me
à judiciis multarum Ecclesiarum in his regioni-
bus. Te quoq; hunc consensum amplecti gaudeo.
& amicum nostrum Culmanum optarim ab hoc
consensu non discedere. - Benè & feliciter vale,
& rescribe. Prid. Cal. Maji, A.S. M.D.LV.

Philippus.



Dis-



Dissertationis,
De Cacozeleia Gentilium,

Pars Generalis.

CAP. I.

Stolida gentilium superstitio. Deorum gentilium nomina, origine Ebraea. Jovis nomen ex Tetragrammato. Unde & Jao. A Jehova Zebaoth, Jupiter Sabazius. Bacchus & Jacchus ex Ebraeo. Depravatio & Ἀλληλῆϊα. Adonis ex Ebraeo, Adon. Belus, à Baal. Duo alia stupenda.



Magni Gentilium Doctoris, S. Pauli, in oratione, ad Gentes sacrificaturas, Lystris habitae, de Deo effatum est, Act. XIV, 17. *Ἐκ ἀμάρτηρων ἐαυτῶν ἀφῆκεν.*

Non passus est, se esse expertem testimonii. Verissimum. Nam, ut verba nulla faciamus de insigni Creationis opere, quo vivus & verus DEUS ex arcana Majestatis suæ sede prodicens, infinitam suam Virtutem ac Sapientiam testaturus, fecit cælum & terram, & mare, & omnia in illis contenta: ut indicta quoque nobis

bis

bis maneant admiranda rerum omnium
 conservatio, & præsentissima Creaturarum
 gubernatio, qua supremus mundi Conditor
 inexhaustam bonitatem suam & providam
 rerum nostrarum curam hodieq; testatur,
 nobis *benefaciendo, dans nobis cœlitus pluvias ac
 tempora fructifera, implens cibo ac letitia corda
 nostra*: ut, inquam, nihil horum attingamus,
 quæ S. Apostolo *ὁ ἡγούμενος τῶ λόγῳ*, dicta
 oratione, Gentibus idololatriis inculcat: ipsæ
 sanè Gentes effati hujus veritatem vel in-
 sciæ comprobant, quibus, Verbi Divini luce
 destitutis, & tenebris plùs quàm Cimmeriis
 involutis, non tamen intestatum prorsus se
 reliquit Numen cœleste.

Miraberis, scio, si sordidissimam earum, in
 colendo Deo, superstitionem percurrere, &
 stolidum, an infinitum dicam? Sacrorum ad-
 paratum perlustrare volueris. Dii illis cul-
 ti, qui mortales erant, nec boni tantùm & be-
 nè meriti inter mortales; sed flagitiosi etiã,
 imò hominum propudia, ut (a) Acca Laren-
 tia, & scorta vilissima. Scilicet, ut Dei aut
 Deæ personam tueantur, qui hominis non
 potuerunt ornare! Romulum jam Deum
 factum rapa adhuc ferventia vorare edixe-
 runt, auctore Seneca; & sic Ambrosia ei &
 Ne-

Nectar denegatum. Jovis adulterium, Mercurii furta, Deorum aliorum contentiones, superbia, levitas, pugnae, credentibus *miseris* (b) *sunt delicta religiosa*. Tempora in Aegypto videris pulcerrima: (c) *quod si autem intus Deum queras, aut simia est, aut ibis, aut hircus, aut felis: quin & sua illis - nascuntur in hortis Numina* (d). Et ne inter solos mortales grassentur morbi, Febris adjecta est ad numerum Dearum, ut verosimile sit, Jovem aliquando quartana laborare. Haec, inquam, & hujusmodi compluria, quae pudet pigetque referre, quis non cum admiratione, aut potius animi indignatione, percipiat?

Multò autem adhuc magis mirabere, si has ipsas Gentes, tam occaecatas, tam ineptas, & *πολυθέω πλάνη* totas immerfas, aliquid tamen de vera religione, tum temporis Judaica, inaudiisse, sed in injustitia detinuisse, perceperis; ut adeò ne ad ipsas quidem, earumque religionem respectu habito, *ἀμάρτυρον* sit coeleste Numen. Cujus colendi rationem ab ipso Deo Judæis praescriptam, aliaque à Deo miraculosè, & à sanctis hominibus piè prudenterque facta, istae vel levi famae aura percepta, vel ex scriptis fortean Mosais eruta, partim ad imitationem pravam

vam traxerunt, partim fabularum involu-
cris obscurarunt, partim, pro lubitu, adden-
do, demendo, penitus vitiarunt, ac ad alia
omnia detorserunt: ita tamen, ut semper
aliqua veritatis divinæ, eminens illis cog-
nitæ, velut è luco, promineant vestigia. Eam
in rem nonnulla hic legentium oculis sisti-
mus exempla.

Atque ut hinc initium capiamus, ipsa sa-
nè Deorum suorum nomina à Judæis Paga-
ni videntur, desumpsisse. Cùm enim Ebræam
pleraque præ se ferant originem; quid ob-
stat, quò minus ex Ebræorum monumentis
natales eorum eruamus, & ad suum quæque
principium reducamus? Moses certè, scri-
ptor omnium antiquissimus, ipsis Gentilium
Diis ætate superior est, vel minimum æqua-
lis. Jupiter enim, quem patrem horum &
Deum Opt. Max. vocant, à Cecrope Athe-
narum Rege primùm inter Deos relatus est;
ut Pausanias in Atticis testatur. Cecrops
autem Mosi $\sigma\upsilon\gamma\chi\epsilon\omicron\nu$ fuit, uti Eusebius
in Chronico demonstrat, & circa bis millesi-
mum quadringentesimum mundi annum
vixit. Eadem tempestate Dionysius Bacchus,
vini repertor, inter mortales adhuc dege-
bat. Esto itaque, Deorum Gentilium no-
mi-

mina ex Ebræorum scriptis esse depromta:
non quidem illibata & vivo colore splen-
dencia, sed interpolata & attrita, ita tamen,
ut facili opera possint ex libris sacris, cum-
primis Mosis, velut inducta & repetita tin-
ctura, pristinum colorē, & nativam faciem,
formamq; primam, induere & recuperare.

Vir(e) CL. & eruditissimus, Johannes Sel-
denus JC. Syntag. II. de DIS Syris, c. 1. in
hanc propendet sententiam: ipsum magnum
nomen Dei Tetragrammaton Gentilibus
haud fuisse prorsus absconditum. Nec res
caret probabilitate. Inde enim nomen JO-
VIS (quod apud antiquos (f) *nominativo quoq;*
casu invenitur) Europæorum pronunciatione
corrupta, videtur deductum. Quippe levi
sono & mutatione elementorum inter se
distant JOVIS & JEHOVA, quod contractē
dicitur JOVA. Nec Jupiter aliud sanē est,
quàm Jovis-piter. Nam quod est in elisis aut
immutatis quibusdam litteris Jupiter; id
plenum atque integrum est Jovis-pater. di-
sertē Agellius L. V. c. 12. Omnium enim Di-
vūm commune fuit, patres nuncupari, ut est
apud Lucilium. Hinc Neptunus-Pater,
Mars-piter, Janus-pater. Ex ea itaque, quæ
omnibus ex æquo Diis competebat, patrum
com-

compellatione, Jovis in Jovispater, Jovis-
piter & Jupiter tandem transiit. Perinde ergo
Jupiter ex Tetragrammato erit, ut ipse Jovis.

Age verò proferamus alia adhuc certio-
ra. Notum est, ex (g) Macrobio, Apollinis
Clarioraculum, qui consultus: Quis Deo-
rum sit habendus, qui vocatur *ιαω*, ita effa-
tus est.

Φράζο, τὸ πάντων ὑπέρτατον θεὸν ἔμμεν *ιαω*.

Cogita, summum omnium Deum esse Jao.

Quid autem Jao? quid? nisi Ebraeum יהוה
Jah, vel יהוה Jehovah. Ita quidem certè
Clemens Alexandrinus, & Diodorus Sicu-
lus nos docent: quorum hic, Biblioth. Hist.
L.I. Apud Judeos, inquit, Mosen, τὸν *ιαω* יהוה
καλούμενον θεόν, Deum, qui Jao dicitur, legum
auctorem suarum finxisse, ἰσορῶσιν. Ille verò
V. Strom. cum modò nominis Tetragramma-
ti mentionem injecisset, continuo addit:
*λέγεται ἡ *ιαω*, ὃ μεθερμώεεται ὃ ὦν καὶ ὃ*
ἔσόμεν. Dicitur autem (nomen illud) Jao,
quod exponitur, qui est, & qui est futurus. Idque
ex ipso illo jam adducto Apollinis oraculo
eum hausisse, Genebrardus censet, prout in
notū ad Clem. V, Strom. p. 562. refert Heinsius,
citans ibidem antiquissimum scriptorem
Chri;

Christianum, Irenæum, qui & ipse L. I. c. 34. Jao numerari dicat inter nomina Dei. Pythagoræ quoq; τετρακτώ, ipsum summum DEUM, numero quaternario laudatum, mysticè significare, autumat suprâ laudatus Seldenus l. c. Καὶ μὲν ἡ καθ' ἑλλήνας ΘΕΟΣ τὸ ὄνομα τετράδα περιέχει γραμμάτων. *Quin & apud Græcos nomen DEUS litterarum continet quaternionem, inquit l. d. Clemens Alex. Et sic vel hoc ipso etiam ad Tetragrammaton respectum haberi, conjectat. Quæ conjectura, cujus sit ponderis, nunc non dicemus. Meminimus sanè, Marsilium Ficinum in argumento Cratyli scribere: Omnes gentes precipuum Dei nomen quatuor solùm pronunciant litteris. Sed, πολυγλωττῆς Martini judicio, (h) non rectè. Nos ad alia.*

Jehova Zebaoth nomen DEI proprium dicitur, Amos IV. v. 13. At verò *undenam Jupiter Sabazius? nonne à Jehova Sabaoth, quod, inculcante sæpius Jeremia, proprium Dei Opt. Max. nomen? Asiæ enim Regem fuisse, ajunt veteres. Seldenus de DIis Syris, proleg. c. 3. Et potuit sanè Jovi Gentilium id nominis Zebaoth, quod exercitum sonat, eatenus adaptari: quia ipse aliàs altitonans, & Deo-*

B

rum

rum Dux, ac, summatim dicendo, singulari quadam majestate conspicuus dicitur. Meminere Jovis hujus (i) Sabazii vetustæ inscriptiones :

IOVI SEBASIO. Q. NVNNIVS. ALEXANDER. V. S. L. M.

Et altera :

Q. NVNNIVS. ALEXANDER. DONVM. DEDIT. IOVI. SABAZIO.

Quanquam diffiteri non possumus, Baccho quoque, decantatissimo in Symposiis numini, idem à Scriptoribus nomen attribui; vel certè ipsius filio, ut Suidas in voce *σαβάζιος* contendit. Enimverò sat manifestò Bacchum refert, quod Aristophanes canit in Vespis in principio :

— ὕπνῳ μ' ἔχευε τὸ ἐν σαβάζιῳ.

Sopor me incescit ex Sabazio.

Ac proinde huc potius, quàm ad Jovem Sabazium, respexisse dixerim Ciceronem II. de LL. *Novos verò Deos, & in his colendis nocturnas pervigilationes sic Aristophanes, facetissimus Poeta veteris Comœdiæ, vexat, ut apud eum Sabazius, & quidam alii Dii, peregrini judicati, è civitate ejiciantur.* Quod nocturnas pervigilationes dicit, id declarat Oppian. Cilix. LI. *Cyneget.*

9
ἐκ ἐθέλω τριέτη σὲ τὰ νῦν ὀρίβαιχόν
αἰεῖδαν,
λείψομαι, ὡς κέλευαι, τὰ σαβάζια νυκτε-
ρὰ θύβλα.

Mittam, ceu mandas, nocturna Sabazia sacra.

Omnino autem, si Bacchus quoque Saba-
zium audit; Viro insigni, Danieli Heinsio,
subscribimus, cognomentum illud ab Ebraeo
בבב quod LXX senibus est οἶνοφλυγεῖν,
vino se ingurgitare, deducenti. Unde & Bac-
chantium vox σαβοῖ; cui gemina est excla-
matio εὔοι, Enoe, quae & ipsa Ebraeam ha-
bet originem אבוי, Eheu. In his enim
sacris

(k) -- tremulis ululatibus aethera complent.

Nec mirum; cum ipse Bacchus ab Ebraeo
בבב baccha, quod est ejulare aut lamenta-
ri, nomen acceperit. quamvis Fullero aliter
visum, qui à Tetragrammato, non operosa
deductione, eum dictum existimat: cum ex
voce יבב jab vel jach, sola terminatione
addita, fiat Jacchus.

Signatè verò utramque originem expri-
mit illud Graecorum, ἐλελεῦ ἰάκχε, quo
ubique in Bacchi celebratione, praesertim
temulenti, utebantur: nescii, esse id Ebraeo-

B 2 rum

rum הלילי *helilu*, hoc est, ululate. Tripudiasse crediderim nefandum generis humani hostem, & oraculorum Dei illusorem, quoties ipsi sanctum ejus verbum tam audacter involare & pervertere licuit. In hoc certe ἐλελεῦ ἱακχε, quid aliud egit, quam quod sacrū illud ἐφύμνιον, Ἀλληλῆια, in contumeliam Divini nominis immutatum, ad impium Bacchi cultum transferret? Quatenus igitur ἐλελεῦ ex Ebræo, *Helilu*, ululate, expressum cum altero, εὐαῖ, *eheu*, coincidit: prior Bacchi nominis origo, quam à בַּחַב, *bacha*, h. e. *ejulando*, ex Heinio, dedimus, firmo stat talo: quatenus verò ad similitudinem laudicini Judæorū Ἀλληλῆια, acclamatio illa insana ἐλελεῦ ἱακχε, est efformata; altera etiam deductio nominis Jacchi à יַחַי, *Jah*, quam Fullerus probat, locum habebit. Utram præferas, nobis tantumdem est: Ebræa semper manet origo.

Sunt, quibus (1) *Adonis idem cum Baccho esse creditur*. Fidem auctores vindicent. Adonis autem annon etiam ab Ebræis descendit, & uti אָדוֹן, *Adon*, Dominum notat? Hesychius: Ἀδωνίς Δεσπότης ὑπὸ Φοινίκων. Unde Laconibus κῆρις & κῦρις Adonis dictus,

id

id est, $\kappa\upsilon\epsilon\lambda$ $\text{\textcircled{C}}$, eodem teste. *Baal* quoque Ebraeum & Chaldaeorum *Bel* Gentiles non latuit. Primitus quidem poterat hoc nomen convenire vero Deo: sed postquam ad Gentilitias affanias semel fuit traductum, Deus id repudiavit. Hof. II, 16. Legitur apud Virgil.

*Implevitq; mero pateram, quam Belus & omnes
A Belo soliti &c. I. Aen. v. 733.*

Legitur & apud Graecos, qui $\beta\epsilon\lambda$, $\beta\alpha\alpha\lambda$, $\beta\epsilon\lambda$ $\text{\textcircled{C}}$ & $\beta\eta\lambda$ $\text{\textcircled{C}}$ promiscue dicunt.


Ante verò, quam hinc abeamus, unicum adhuc lubet addere, & alterum, planè stupendum. In templo Apollinis Delphici visenda erat inscriptio unius literæ E, toti Græciæ celebratissima. Unde & titulus libri apud Plutarchum: $\pi\epsilon\rho\iota$ $\text{\textcircled{E}}$ $\text{\textcircled{E}}$ $\text{\textcircled{E}}$ $\text{\textcircled{C}}$ $\Delta\epsilon\lambda\phi\omega\iota\varsigma$. Litera illa E à veteribus EI pronunciabatur. Quod discere est ex Athenæi Lib. X. cujus verba à Samuele Petito (*m*) prolixè allegata, brevitati studentes, huc non transferemus. Totus autem fallor, si non magni quid huic rei subest. Annon enim sub hac inscriptione EI, latere deprehendis nomen Dei essentialè, quod ab $\text{\textcircled{E}}$ $\text{\textcircled{I}}$ deductum, ipsum $\tau\omicron$ $\epsilon\iota\upsilon\alpha\iota$, h. e. esse perfectissimum denotat?

B 3

Non

Non multum ab hac inscriptione abest alia, quæ in Minervæ simulacro, quod Sacerat, legebatur: *Εγώ εἰμι πᾶν τὸ γεγὸς, καὶ ὄν, καὶ ἐσόμενον.* Ego sum omne, quod fuit, quod est, quodque erit: & peplum meum nemo mortaliū revelavit. teste Stobæo, *Serm. XLII. f. 294.* Quid est, obsecro, verba Johannea, quibus verus & æternus Deus indigetatur: *ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος*, *Αποκ. I, 4.* exprimere, si hoc non est? Atqui ipsum nomen Dei apud Ebræos *τετραγράμματον* ita exponi: *ὁ ὢν καὶ ὁ ἐσόμενος*, ex Clemente Alex. diximus. Confer, quod postrema verba attinet, *Exod. VI, 3.* Deorum ergo Gentilium nomina ex Ebraismo esse traducta, ita liquet.

(a) Agell. L. VI. Noct. Act. c. 7. (b) Cyprian. E II. ep. 2. (c) Diodor. Siculus L. I. (d) Juvenal. Sat. XV. v. 10. (e) Samuel Petrus L. II. Misc. c. 1. (f) Priscian. L. VI. (g) I. Saturn. c. 18. (h) in Lex. voce Deus, p. 588. (i) Rosinus Antiq. Rom (k) Virg. Æn. VII. v. 395. (l) Plutarch. L. IV. probf. sympos. 5. (m) Petit. VI. Miscell. c. 15.



CAP.

CAP. II.

*Ethnicorum fabulae ex Historiis Sacris. De lapsu
protoplastarum. Diluvium Mosis & Ovidii,
Gigantes, è Babylone. Columna ignea. Pugil-
lus Ebraeorum Homericorum. Judaeorum
Hercules, Samson.*

Iam verò de Historiis Sacris quid aliud di-
cam, quàm quod Taubmannus, *præfat. in
Virg. Cirin*, se profiteatur arbitrari: *In sacris li-
teris paucas historias esse, miraculo præsertim aut
mysterio insignes, quas Diabolus, cujus sunt partes
intervertendi veritatem, non emulante, ut Ter-
tullianus loquitur, affectavit exprimere? Ac pos-
semus sanè ex contentione mutua Sacrae &
profanae disciplinae vim magnam exemplo-
rum congerere, si lineis agendum nobis esset
longioribus. Nòrunt, qui utriusque medio-
criter saltem sunt periti, fabulam Prome-
thei, ex luto hominem fingentis, ex creatio-
ne hominis esse desumptam. Nòrunt, Paradi-
sum, seu hortum in Eden, ab his in campos
Elysios, ab aliis in hortos Adonidis atque
Hesperium transformatum. Nòrunt etiam,
tristem Protoplastorum lapsum, quæq; inde
ad nos mala profluxerunt, à muliere initium
sumsisse; quæ Homero quidem *ιλιάδ. τ.
v. 91.* B 4 πρῆσβα*

πρῆσθα Διὸς θυγάτηρ, Ἀτη, ἢ πάντας
αἶται Ουλομένη.

*Filia prima Jovis, quæq; omnes perdidit, Ate
Perniciosa;*

Hesiodo autem, alio nomine, Pandora dicitur; omnium fœminarum & formosissima & prima à Diis condita, mala omnia in mundum spargens. Quin & Ille, alterius fabulæ integumento, eandem historiam incrustat: dum Jovem, omnium mortalium sapientissimum, tamen à Junone, uxore sua, malè persuasum refert. Quæ omnia veritatis Mosaicæ vestigia sunt haud obscura.

Diluvium autem primi mundi adeò non latuit Gentiles, ut in eorum scriptis nonnullæ etiam illius, velut tristissimi naufragii, tabulæ & fragmenta, hodiè existent, post tot tenebras & veritatis interpolationes. Graphicè in primis cataclysmus iste ab Ovidio depictus est: ut, si demtò Deucalionis nomine legeres, in historia Sacra te versari, dejerares. Nam & montes ista inundatione coopertos canit: (a)

*Obruerat tumulos immensa licentia Ponti,
Pulsabantq; novi montana cacumina fluctus;
& præter Deucalionem, cum Pyrrha conjugē
sua, neminem servatum. Deucalion ille
quis*

quis nisi Noachus est? de quo verè hoc Na-
sonis usurpes:

Illo non melior quisquam, nec amantior equi.

Noachus ingenium tempestatis exploratu-
rus Corvum, avem temperamenti siccissimi,
& ob id pluviae futurae praesagam atque pra-
nunciam, ex arca emisit; sed qui reditus est
oblitus. Ad eundem modum *Lib. II. Fast.* cor-
vus à Phœbo, Jovi suo festum solempne parante,
a quatum emissus, sed

Immemor imperis sedisse sub arbore fertur,

Dum fierent tarda dulcia poma mora.

Et undenam, nisi ex praesenti historia, fluxif-
se putas Gentilium institutum, auspicia
quaerentium, & Apollini, qui Divinationi-
bus praest, Corvum sacrum statuentium;
quem idcirco vaticinandi facultate praeditum,
(b) Aeliano teste, quin & in auspiciis solum vi-
deri intellectum habere significationum suarum,
asserunt, ut Plin. refert X. nat. hist. c. 12. Un-
de insuper, nisi ex eodem fonte manavit,
quod Columba Syris, divinae (c) pacis praeco
& nuntia credebatur, & quod Olea, (d) arbor,
pacis insigne, ab Isidoro, ex sententia Ethnico-
rum appellatur? Hinc est, quod Virg. (e)
canit:

Paciferaeque manu ramum pretendit Oliva.

B 5

Et

Et alibi:

Velati ramis Olea, veniamq; petentes.

Alia apud Nasonem (f) fabula est de Gigantibus, aggestione & accumulatione montium exstructuris aditum ad cœlos, & Jovem inde deturbaturis; sed qui ipsi postea à proposito suo miserè sint deturbati. Quam refert simul & applicat ad historiam Sacram vetustus auctor, Theodulus nomine, sed fictitio, in Ecloga, anno salutis nostræ M. cccc xcii excusa, quæ ipsa vetustate nescio quid amabile spirat, fol. 18. b.

Surrexere viri terra genitrice creati:

*Pellere cœlicolas fuit omnibus una voluntas,
Mons cumulat montem, sed totum Mulciber
hostem.*

Fulmine dejectum Vulcani trusit in antrum.

Posteritas Adæ summa Babylonis in arce.

Turrim construxit, quæ cœlum tangere possit.

Excitat ira Deum: confusio fit labiorum:

Disperguntur ibi: nomen non extitit urbi.

Ita ergò Nasonis fabulam Theodulo visum est peperisse mentionē Gigantū in Genesi, & historiā de impedita divinitus exedificatione turris Babylonice, ut rectè loquitur Casp. Peucerus in eruditissimo suo, de Divinat. generibus (g)

Com-

Commentario. Cujus Viri verba de *εὐλο-*
γίας DEI, sub specie humana, ad Patres
 manifestatione, planè exosculamur: *Magica-*
rum artium usum inde cœpisse inter homines exi-
 stimo, quod Diabolus, secutus exemplum consuetu-
 dinis & colloquiorum Dei cum sanctis Patribus,
 eodem modo aliàs alia specie sese exhibuit homi-
 nibus: ut hujus imitationis & colloquiorum occa-
 sione sese faciliùs insinuaret, & à verbo Dei aver-
 sos animos ad petendas à sese & expectandas de-
 clarationes, admonitiones, patefactiones & alia
 hujus generis assuefaceret. cap. de Magia.

Porro in historia Sacra Angelus Dei Is-
 raelitis peregrè profectis, interdum in colu-
 mna seu specie sublimatæ nubis; noctu au-
 tem in columna ignis præeundo dux fuisse
 legitur. Ad hoc exemplum credo ego, inquit
 Taubmannus l.c. *Poetas sancivisse, nullum Nu-*
men mortalibus apparere sine nimbo. Est autem
 nimbus nubes Divina seu fluidum lumen,
 quod Deorum capita tingvit: quod *Pictores,*
Natura & Poetarum simii, hodieq; in imagine
 Servatoris nostri, Divæ Mariæ, Apostolorum, & sè
 quos alios Divinitatis participes volunt, ambitio-
 so furo affectant. Mirum, quod eodem histo-
 riæ tenore de Thrasybulo refert Clemens
 Alex. I. Strom. *Quin etiam Thrasybulo, qui exu-*
 les

les ex Phyla reducebat, & latere volebat, dux sit
 columna, & Thrasibulo noctu per loca non trita
 ingredienti, cum nec luceret Luna, hybernumq;
 cœlum esset, & caliginosum, videbatur ignis præ-
 vius: qui cum eos citra ullam deduxisset offensio-
 nem, prope Munychiam defecit, ubi nunc est Ara
 ⚡ ΦωσΦόγος, i.e. Lucifera. Vel ex hoc ergo (sub-
 nectit) fiunt nostra Græcis credibilia: quod face-
 re potest Deus omnipotens, ut columna ignis
 Ebræos noctu præcedat, quæ etiam dux sit eorum
 itineris.

Quod si ulterius Sacra Mosis (h) scrinia
 evolvamus, Abrahamum & Lothum, homi-
 nibus se putantes officia hospitalitatis im-
 pendere, Angelos excepisse legimus. Si pro-
 fana Homeri: dic sodes, annon mutato no-
 mine de Telemacho (i) fabula narratur, qui
 hominem hospitiis putans excipere, Palla-
 dem excipit? Niobe in saxum mutata, quæ-
 nam alia est, quam uxor Lothi, transformata
 in statuam salis? Quid Jovis catena aurea
 (k) apud Homerum, de vertice Olympi sus-
 pensa, tam videtur adumbrare, quam scalam
 à Jacobo visam, quæ ad cœlum usq; pertin-
 gebat? Septem vaccæ (l) macilentæ devo-
 rantes septem pingves, & septem spicæ ar-
 idæ deglutientes septem plenas, Pharaoni
 per

per somnium visæ, Josepho interprete, sunt septem anni, fame & rerum omnium inopia transigendi. Huic verò interpretationi quid magis affine, quàm quod Chalcas apud Homerum octo pullos ab Aquila, unâ cum matre, consumptos, portendere dicit annos novem in obsidione Trojæ consumendos? Pharaonis. Ægyptiorum Regis, filia, (m) ad lavandum egressa, Mosen, a quis propemodum immersum, liberans, nonne, variatis nominibus, Nauficæ est, Phæacum Regis filia, ad lavandum itidem egressa, Ulysses a quis minimo minus immersum liberans? Israelitas verò (n) deliciis Ægyptiacis inescatos, reditum in patriam aspernantes, egregiè repræsentant Ulyssis socii; qui gustata semel Loti dulcedine deliniti, reditum itidem in patriam respuerunt.

Plurima adhuc dici possent de Samson; cujus (o) *robur affingit Homerus quidem Polyphemo suo, idq; cum auctario hyperbolico*: alii verò Herculi, inter quos & Augustinus. Verùm non nostris, sed Taubmanni verbis, doctis pariter & facetis, rem expediemus. *Hercules, inquit, iste nonne Judæorum Samson est?* August. de Civ. Dei: *Ebræorum Judex Samson, cum mirabiliter fortis esset, putatus est Her-*

cules. Eusebius: Mibi videntur Hercules &
 Samson non multum inter se distare tempore: si-
 quidem ambo circa Troje captivitatem fuerunt.
 Atq; adeo labores etiam illi, sive XII, sive plures,
 quos ambitioso mendacio Græci suo Herculi trans-
 scripserunt, videntur magnam partem Samsonis
 nostris fuisse. Vel miræ vastitatis Leo Nemeæus
 Hercules, qui nisi Samsonis Thimnathæus
 Leo, adultus ille & ferocissimus? Ille autem Co-
 lumnæ Herculis nonne ille duæ columnæ,
 quibus domus Philistæorum innitebatur? Ut
 etiam Herculem circumfusa caligo ad Erythrâ
 Oceani insulam, ubi columnas posuit, circumcivit, ne
 ulterius grassaretur: ita Samsoni ad illas, ut sic
 dicam, Philistæe inundationis columnas ultimus
 laborum terminus constitit. Præterea infamis illa
 servitus, quam Hercules servivit Omphalæ,
 quid nisi meretrix Gazæa & Delila Samsonis,
 est? ut cætera taceam. Quin & vulpes Samsonis,
 è Palestina in Italiam postea migrasse, verosimile
 apparet. Nam unde illud Vulpicomburium,
 ut sic loquar, quod memorat ingeniosus fabula-
 rum figulus & gerulus Naso in Fastis? quando ni-
 mirum, Aprili mense, in Equiriis, arbitrante uni-
 verso populo Romano, -- Vulpes junctis arden-
 tia tedis Terga ferens mittebatur: quæ tan-
 dem & ipsa solemniter quasi rogo comburebatur:

quod

quod nescio quorum Carseolanorum messes aliquando exusserint vulpes: ut quidem à sene rustico acceperit, qui & ipse in circulis seniorum apri-
cantium fortè audiverit. Unde Comico tragœdians
suam egregio scilicet epiphonemate concludit:

Utiq³ luat pœnas, genus hoc (vulpium) Cereali-
bus ardet:

Quoq³ modo segetes perdidit, illa perit.

Miseram vulpeculam! Itane in te quoq³ sacrum
& publicum illud Talionis decretum competiit:
per quod quis peccat & c. iterum, miseram vul-
peculam! Et hætenus quidem Taubman-
num audivimus de historiæ Sacræ & profanæ
cognitione eleganter differentem.

(a) I. Metam. fab. 9. (b) L. XV. hist. anim. c. 42.

(c) Danaus, Antiq. primæ ætatis mundi, p. 436.

(d) Isid. L. XVII. Etym. c. 9. (e) Æn. IIX. & IX.

(f) I. Metam. fab. 6. (g) cap. de Divin. extispicum.

(h) Gen. XIII. & XIX. (i) ὀδύσ. a. v. 112. (k) Gen.

XXIIX, 12. Iliad. θ. v. 18. (l) Gen. XLI, 26. Iliad. β. v.

326 (m) Exod. II, 5. 6. ὀδύσ. z. v. 85 (n) Exod. XVI, 3.

ὀδύσ. I. v. 90. (o) Jacob. Cappellus Vindic. pro Ca-

saub. L. IV. c. 15.

OOOOOOOOOO (OOOOOOOOOO)

CAP. III.

Unctio lapidum apud Gentiles, ex historia Jacobi.

Aures servii perforata. Asyla Gentilium. Festum

Pa-

Paschatis & Tabernaculorum apud Gentiles. Eorundem Pontifices, Sacerdotes & Levitæ. Locus Matt. II, 4. ubi plurimum ἱερέων mentio fit, ex antiquitate Romana illustratus. Sacerdotes, corpore integro. Eorum initiatio. Pontifici cadaver videre, & aliam in uxorem accipere, quàm Virginem, illicitum. Cereris Eleusiniæ Mystæ, Epoptæ & Præfecti, respondentes Judæorum Levitæ, Sacerdotibus & Pontificibus. Adyta Gentilium, ex Judæorum Sanctuariis. Dura sacerdotum conditio. Altaria Gentilium; & in specie apud eos Holocausti & Thymiamatis altare. Aditus ad ipsa sacrificia.

GRave nobis non sit, Historiis nunc subnectere Ritus Judæorum sacros, quâ publicos, quâ privatos; quos passim arreptos Gentilibus, in superstizioso cultu retinendis, æmulandos suggestit SIMIA DEI DIABOLUS. Ubi iterum rerum variarum campus se nobis aperit quàm latissimus. Memorabile in primis est, quod Jacobus Patriarcha (a) Lapidem, cui pernox innixus, per somniũ, visa scala, promissionem de Messia divinitus acceperat, expergefactus in statuam erexit, & perfuso in eum oleo, loco illi Bethel nomen

men indidit. At & hoc est memorabile, idem
 ex κακοζήλια Ethnicis factitatum: quos et-
 jam Lapidibus honorem ungenti habuisse,
 & insuper coram iis ingenua, velut adoru-
 ros, procubuisse, testatur (b) Arnobius. Si
 quando, inquit, conspexeram lubricatum lapidē,
 & ex olivi unguine ordinatum, tanquam inesset
 vis presens, adulabar, affabar, & beneficia posce-
 bam, nil sentiente trunco. Unde est, quod Minu-
 tius Felix (c) Lapidēs effigiatos, & unctos, & co-
 ronatos dicit: & quod Clemens Alexandri-
 nus falsē ridet πάντα λίθον λιπαρὸν πρὸς
 σκυνδύλας, eos, qui omnem lapidem pingvē,
 seu, ut Apulejus loquitur (d) unguine delibutū,
 venerantur. VII. Strom. edit. Lutet. p. 713. b.
 Hoc sanē Jacobi factum, errori suo Genti-
 les ritē prætendere non possunt. Nec enim
 more idololatriæ lapidem persudit oleo Jacob, vel-
 ut faciens illum Deum: neq; enim adoravit eun-
 dem lapidem, vel eidem sacrificavit; sed quoniam
 Christi nomen à Christiate est, i. e. ab unctiōne.
 Acutē August. L. XVI. de C. D. c. 38. Verūm
 quid execranda ritus sacros amulandi libi-
 do apud eos non effecit? Eò usque stupendæ
 superstitionis sunt progressi, ut lapides et-
 jam illos Βατύλος, Bætylos, vocarent:
 ne scilicet non animadvertas, omnem hunc

C

mo-

morem manasse ab eo lapide, quem unxit Jacob in Bethel. quod dudum animadvertit sagacissimus Scaliger *animadv. Euseb. p. 198, 199.* Hinc & Bætylus lapis, quem à Saturno devoratum fingunt: & proverbium: καὶ βαιτύλον ἄν καταπίνης. Quin & vivos atq; ἐμψύχους Bætylos illos fuisse, ac ut τὰ δαίδαλια, ita illos αὐτοκινήτους dixerunt. Omnia ideò: quia Christum lapidem illum, Esa. XXII, 16, & quidem unctum oleo lætitiæ præ confortibus, Psal. XLV, 8. & lapidem vivum, I. Pet. II, 4. Diabolus in ipsis & per ipsos voluit ludificari.

Servis apud Judæos perforari aures solitas, ex Deut. XV, 12, 16, 17. constat. Cujus loci ipsa verba expressa legimus L. I. hist. sacr. Sulpitii Severi: *Ebraeus puer, pecunia emtus, sex annis serviet: post hæc liber erit: spontè autem permanenti in servitute auris forabitur.* Atqui & Romanis ejusmodi scrobiculum in usu fuisse, antiquitatis Romanæ peritissimus Dempsterus nos docet, qui venalium servorum Romæ tres notas statuit: *sub corona stare, ocreatos habere calceos, aures perforatas.* Paralip. ad Rosini Antiq. Rom. L. I. c. XX. De Pœnorum servis res liquida est, si Plauti(c) Pœ-

Poenulum evolvamur. Ibi Milphio & ipse
 servus, adeoque notæ servilis optimè gna-
 rus, homines sarcinatos conspiciens, *qui in-
 cedunt cum annulatis auribus*, eos adit & com-
 pellat lingua Punica. Quomodo verò hæc
 eadem aurium perforatio etiam hominibus
 in dignitate constitutis apud Judæos, Græ-
 cos & Romanos postmodo in usu fuerit, de
 eo legendus laudatus ante Dempsterus *l.d.*

In luctu tam publico, (f) qualis Ninive
 erat, quàm privato, qualis erat Jobi, cineri-
 bus assidere, & caput tondere, Judæi soliti
 sunt. Id imitatus Laertes, (g) Ulysssem lugens,
ἐν κόμῳ ἄγχι πυρῶς in pulvere propè focum
 sedet: & h() Danai, in Achillis funere, lacry-
 mas calidas fudere, — *κείροντο τε χείρας,*
το τόνδερυντ' ἄ, crines.

Afyla, loca nempe refugii, quibus attactis
 inviolabilis quis existit, Judæis fuisse, ex Jo-
 suæ XX, 7. satis clarè liquet. Eadem verò
 Græcis in more posita & Romanis fuisse, ex
 secularibus discendum scriptoribus. Græ-
 cis sanè Tacitus hoc tribuit, de jure asylo-
 rum præcipuas Græciæ civitates coram Ti-
 berio contendisse. III. Annal. De Romanis
 verò Virgilius:

C 2

Hinc

Hinc lucum ingentem, quem Romulus acer asylū
Rettulit &c. *Aeneid.* II. X.

Ovidius: In Fastorum III.

Romulus ut saxo lucum circumdedit alto
Quilibet hac (inquit) confuge: tutus eris.

Sed præstat ritus propriè & strictè sacros,
eosque publicos, intueri; quos à Judæis acce-
ptos improba sua æmulatione invadere au-
sus est (i) *salutaris discipline adulter*, cuius sunt
partes intervertendi veritatem; qui ipsas quoque
res Sacramentorum Divinorum in idolorum my-
steriis æmulatur.

In hoc verò genere eminent FESTA, quæ
Judæi quotannis in memoriam insignium
beneficiorum DEI, iussu ipsius, celebra-
runt. Tale erat festum Paschatos, sive Azy-
morum, quo memoriam recolentes cæsaræ, ab
Angelo, universæ Ægyptiorum primogeni-
turæ, & admirandæ liberationis suæ, super-
liminaria sanguine illevere, cædis à se suisq;
avertendæ causa, Exod. XII, 22. Idem mos,
ex depravato traditionis sacræ intellectu,
manavit ad Ægyptios idololatrias; quos ac-
cepto minio greges & arbores, velut alexe-
terio, in Judaico Paschate, primo scilicet
vece, illinere, Epiphanius (k) narrat, in hæ-
resi Nazaræorum.

Sic

Sic solenne quoque Scenopegias sive Tabernaculorum festum, quod Judæi in memoriam quadragenariæ in deserto Arabico commorationis agitabant, impuro & detestando Bacchi cultu Gentiles imitando inquinarent. Cujus affectatæ Gentilium solennitatis & tempus & modus cum Judæorum Sacris congruunt; ut Plutarchi (l) verbis utar paulum inversis. Celebrabatur enim Judæorum festum mense Tisri, maxime fervente vindemia: mense maturis omni-fariam pomis erant repletæ: solebant etiam largiusculè se invicem ad bibendum invitare: degebant sub scenis ex palmitibus & hedera contextis: per dies septē thyrsos seu fasciculos ex variis frondibus compactos manibus gestabant; & tubis exiguis in festi hujus celebratione utebantur. Quæ omnia fordido Bacchi cultui verè quidem accommodat Plutarchus; in eo autem nimium quantum fallitur, quod inde, (m) Bacchum à Judæis ipsis coli solitum, ficulnea connectione colligit; cum contrarium inde colligatur: Gentiles nempe sacra sua Bacchanalia, ex Judaica festivitate, à Deo præcepta, prava æmulatione expressisse.

Ex hoc ipso etiam Scenopegias festo, quo

C 3 tam

tam servis, quam liberis, sub tentoriis feriales dies agere epularique summa cum latitia, fuerat concessum, ut constat ex Lev. XXIII, 42. Deut. XVI, 14; antiquissimum Saturnaliorum festum apud Romanos, natales suos videtur sortitum: quod servorum cum primis immunitati erat destinatum, qui per id tempus, servitio soluti, velut usurariam quandam libertatem habuere, & festive egere; in tantum, ut a Dominis convivio fuerint excepti, iisdem praeministrantibus. Athenaeus L. XIV. Ταῖς τῶν Κρονίων ἡμέραις ἐστὶ ἐστὶ Ρωμαίων παισὶν ἐστὶν τὰς οἰκέτας αὐτὰς τὰς τῶν οἰκετῶν ἀναδεχομένους λειτουργίας, i. e. Saturnaliorum diebus, moris est Romanis praebere servis convivium, sic ut ipse servorum officia subeant. Videantur Lipsii (n) Saturnalia, & Stuckii (o) Antiquit. convivales.

Porro singulis Festis cultui Divino, qui in sacrificiis offerendis potissimum consistebat, vacare soliti sunt; ut Judaei, de quibus adductus locus Lev. XXIII, 37. testatur: sic pariter Gentiles; qui festa sua vel sacrificiis faciendis, vel epulationibus celebrandis, vel ludis agendis infumebant, teste Macrobio.

A

A festis igitur rectâ ad sacrificia transeundi
via nobis panditur. Sed ante tamen,
quâm ingrediamur campum istum, quædam,
περὶ θεωρίας loco, de Levitico Judæorum
sacerdotio ad ipsos Ethnicos translato, sci-
tu non minus necessaria, quâm jucunda,
leviter delibabimus. Sacerdotii enim actus
præcipuus & proprius est, sacrificare.

Apud Judæos triplex, in una tribu Levi,
erat ἱεροποιῶν, seu sacrarum personarū,
ordo. Primum locum tenebat *Pontifex*,
sive, Sacerdos sūmus, Ebræis, כהן הגדול,
dictus, qui Sacerdotibus omnibus præfectus,
Regi proximus erat. Quem honorem pri-
mus omnium Aharon gessit: Aharonem
postmodò Eleazar & Ithamar, patrem filii,
& hos deinceps alii, progenitore Aharone,
sati, justa serie exceperere.

A Pontifice, qui una vice non nisi unus
erat, reliqui *Sacerdotes*, quos *Minores* dixe-
ris, proximè locati, sacris præfuere. Quales,
vivente adhuc Aharone, filii ipsius erant: à
quibus copiosa Sacerdotum progenies edi-
ta. Qui jam dum, Mosis ætate, (p) ob mul-
titudinem in certas urbes, quas incolerent,
indeq; statò tempore ad operas sacras redi-
rent,

rent, tributi, ac subinde auctiores facti, tandem à Rege Davide divisi sunt in stationes, (q) sive Romano verbo, Classes XXIV: quæ in functionibus sacris per vices sibi invicem succedebant. Ubi ultima עֲבֹדָה־יְהוָה seu ministerium suum finierat, ibi denuò incipiebat prima, & sic semper reditus fiebat in orbem. Incipiebat autem quælibet earum ipso die (r) Sabbati, manè ab instauratione panum propositionis; & desinebat sequenti Sabbato post octiduum, manè, antequam proponerentur panes propositionis. Singularum itaque familiarum quæque vice dies erant septem: integer orbis omnium XXIV, conficiebat dies 168. Hæ sunt stationes illæ, quas ἐφημερίδας appellat S. Lucas, quando Zachariam dicit, fuisse ἐξ ἐφημερίδας Αβια, (s) ex vice Abia: quæ videlicet sorte erat octava, ex illis XXIV, familia, cui Abia, sicut suæ quisque Classis principes solebant, nomen dederat. I. Par. XXIV, 10. Principes illi dicuntur רָאשֵׁי הַחֲבוּרֹת הַכֹּהֲנִים, h. e. capita familiarum sacerdotaliū, I. Par. XXIV, 6. Qui ordo etiam sequentibus temporibus servatus, ut singulis Sacerdotum classibus quidam præessent, qui aliquando vocantur

ἀρχοῦτες, Joh. VII, 48. XII, 42, aliquando idem cum Pontifice nomen obtinent, & ἀρχιερεῖς appellantur, Matt. II, 4. Marc. XIV, 53. qua appellatione non plures Pontifices, sed classium solum sacerdotalium principes, indigetantur.

Tandem Sacerdotes sequebantur *Levite*, specialiter & strictè ita dicti; qui in infimo tribus Leviticæ gradu constituti, ministri erant Sacerdotum, inque suas pariter, ut Sacerdotes ἐφημερίαις ac totidè stationes divisi, ea in templo perficiebant, quæ ignobilioris operæ essent. Hi nimirum Sacerdotibus sacrificantibus adstabant, & ad nutum eorum se componebant. Num. III, 6. I. Par. XXIII, 28. Ezech. XLIV, 11. inter sacra, voce, pariter & organis canebant, I. Par. XXV. ad januas templi excubabant, & sacras in æde Divina arculas observabant, I. Par. XXVI. ipsi autem sacrificiorum operi vacare nunquam permittebantur. Ezech. XLIV, 13.

Ita Judæorum se habuit Sacerdotium. Atqui verò probatu non est difficile, tres hæc classes in medium ipsum Gētilismum, prava æmulationis libidine, fuisse introductas. Primum Pontifex illis erat; vel ipso nomine indicium nobis faciente, quod Romanum

est. Apud Romanos autem Ποντίφικες ἱερέων οἱ Διφωανέστατοι, Pontifices Sacerdotum eminentissimi (r) habiti fuere, ut Dionysius loquitur. Et alibi apud Ægyptios πάντων ἀτελεῖς, καὶ δωτερέουσι μετὰ τὸν βασιλέα ταῖς λόξαις ἢ ταῖς ἐξουσίαις, (u) ab oneribus cunctis immunes, primas à Rege honoris ac potestatis tenebant, scribente Diodoro Siculo. Pari apud Græcos dignitate fulgebāt ii, quos ἱεροδιδασκάλας, sive ἱερονόμας, sive ἱεροφύλακας, sive, quod potissimum Dionysio (x) probatur ἱεροφάντας, suo idiomate dixerunt. Sanè sacris Eleusiniis præerat ἱεροφάντης, idque ἐς τὸν βίον πάντα, per totam vitam, teste Pausania; planè ut apud Judæos: qui Pontificem suum volebant esse, quoad esset, muneri huic præfatum.

Porro Gentiles Pontifices infra se habebant Sacerdotes minores, quorum respectu ipsi dicuntur Διφωανέστατοι, ut modò audivimus: quin & alios Pontifices; quod Romanis usu venit, qui Pontificum multitudine delectati Collegium pontificale (y) primum ad quatuor, tum ad octo ampliatum, tandem ad quindecim auxere: ita ut esset

Pon-

Pontifex Maximus, qui sub se haberet minores; & inter minores iterum essent Maximus & Minimus. Extat apud Festum: (z) *Minorum Pontificum Maximus dicitur, qui primus in id collegium venit. Item Minimus, qui novissimus.* ad eum ferè modum, quo inter Sacerdotes minores apud Judæos is *ἀρχιερεὺς* dicebatur, qui reliquis senior classi suæ præerat. Res, antehac nemini, quod sciam, observata. Igitur dicam clariùs. Uti Judæi habuerunt summum Sacerdotem, sub quo erant sacerdotes minores: ita Romani habuerunt summum quendam Pontificem, qui Pontificibus aliis omnibus superior, minores sub se continebat. Utque ii ipsi minores Judæorum Sacerdotes, qui vices hebdomadarias obibant, inter se vicissim summum quendam habere, qui interdum *ἀρχιερεὺς* nomen in Scripturis participat: sic pariter Romanorum Pontifices minores in suo ordine habere unum Maximum, qui ab auctoritate, & quod cæteris prior in officio constitutus esset, tanti mensuram nominis accepit; non quòd absolutè Maximus, sed quòd inter minores esset Maximus: hoc solùm discrimine, quod Romani unum tantùm inter omnes minores Pontifices summum habuerunt;

Ju-

Judæi autem in singulis sacerdotalibus classibus unum, adeoque totidem habuere שְׂרֵי הַכֹּהֲנִים, quot illis erant classes.

De Levitis verò Gentilium quid dicam? Nimirum, ut rectissimè P. Cunæus, (et) planè, quod Romanis inter sacra atq; in templis Victimarii Popæq; & Aeditui, ac Præcie, Tibicinesq; prestiterè, id Judæorum mos lexq; Levitis demandaverat. Judæorum Levitis coram altari ministrantibus, apud Gentiles responderunt Victimarii & Popæ, nutum Sacerdotum succincti exspectantes, juxtà illud β Propertii:

Succinctiq; calent ad nova sacra Popæ.
Et alterum Ovidii:
Nominis esse potest succinctus causa minister,
Hostia cœlitibus quo feriente cadit.

Talismi modi minister erat in sacris Cereris Eleusiniæ, ὁ Ἰνὶ Βορμῶ nuncupatus, quòd ad aram ministraret: cujus adpellationis meminit Eusebius de preparat. Evang. L. III. Janitorum officio, cui Levitarum pars erant præfecti, apud Romanos fungebantur Aeditui, à cura ædium sacrarum nomen adepti: de quibus Gellius L. XII. c. VI. Stobæus *vevovό-εργς* vocat, templi purgandi & exornandi curam habentes. *serm. XLII.* Cantoribus Judæo-

dæo-

dæorum similes fuere Romanorum Tibicines: qui dum sacra fierent, tibiis canebant, vel aliis etiam instrumentis Musicis ludebant. Meminit Cicero, (γ) leges de Religione memorans: *Popularem letitiam in cantu, & fidibus & tibiis moderant, eamq; cum Divum honore jungunt.* Et aliis quidem Divis alii hymni erant dicati, qui in illorum festis sacrisq; decantari consuevere. Quos enarrant Athenæus L. XIV. & Cæl. Rhodiginus, L. IV. lect. antiq. c. V. Nos cum Theodoro (δ) sentimus: *Ne cantemus Julum Cereri, neve ipsi Rheæ Lityersan: ne Baccho Dithyrambum: ne Peana Pythio Apollini: neve Diane concinamus Hypæpum: sed rerum omnium Conditori hymnos Davidicos proferamus, cumq; eo pariter exclamemus: quam magnificata sunt opera tua, Domine! omnia in sapientia fecisti.*

Habes, Lector benevole, triplicem Judæorum *iepoμiōv* ordinem, Pontificum, Sacerdotum, & Levitarum, inter ipsos Gentiles receptum. Nunc ut Judaici & Gentilitii Sacerdotii convenientia amplius pateat; quæ Sacerdotibus Judæorum omnibus communia, quæque Pontificis propria fuere, quomodo Gentiles nefarie sint æmulati, paucis tecum considera.

Lex

Lex erat apud Judæos omnibus Sacerdotibus posita, ut integro essent corpore: si qui verò aliquo corporis vitio laborarent, manci videlicet, gibbosi, vari, valgi, strabones, pati, aut aliter deformes & imperfecti, ii sacrificiis abstinerent. Lev. XXI, 17, 18. Intelligens hoc Antigonus Aristobuli Regis filius, (e) Hircanum, Judæorum Pontificem, patrum suum, captum utrisque auribus truncavit. Ita provisum abundè fuit, ne fungì in posterum sacratissimo honore posset. Intellexere id ipsum & vetustiores Romani, quorum lex erat: SACERDOS INTEGR SIT: itidem non minùs Pontifici, quàm aliis lata. Quam Seneca ζ recensens, statim exemplo probat, priori simili: *Metellus Pontifex, quum arderet Vestæ templum, dum rapit Palladium, oculos perdidit, sacerdotium illi negatur.* Postea de Sacerdotibus in genere subjicit: *Sacerdos non integri corporis, quasi mali ominis res, vitandus est. Hoc in victimis notatur quantò magis in Sacerdotibus.* Hinc Dionysius Halic. (n) Sacerdotes à Romulo lectos scribit, qui virtute ac genere præcellerent cæteros, censumq; sufficientem haberent, & corpore essent nulla ex parte trunco. Canones Pontificiù idem statuunt: *ne Clericus sit aliquo facinore*

in-

infectus, vel illiteratus, vel bigamus, vel ab adole-
scencia sordidatus, vel corpore vitiatus. c. I. pri-
scis. dist. IV. Idem dicitur c. III. pœnitentes
eiusd. dist. ut inscii litterarum, aut aliqua mem-
brorum damna perpessi, ad sacrosordines adspirare
non audeant. Quod ipsum tamen postea ita
mitigatur, ut morbi, Medicorum incisiones,
& casus fortuiti ab hoc decreto excipiantur,
c. 6. seqq. Unde sexti solum canonis ver-
ba, quæ sunt Innocentii ad Felicem, Nuce-
rianum Episcopum, epist. IV. c. I. huc adscri-
bemus: Qui partem cujuslibet digiti sibi ipsi vo-
lens abscidit, hunc ad Clerum Canones non admit-
tunt. Cui verò casu aliquo contigit, dum aut
operi rustico curam impendit, aut aliquid faciens
se non sponte percussit, hos Canones præcipiunt &
Clericos fieri, & si in Clero fuerint reperti, non
abjici. In illi enim voluntas est iudicata, quæ sibi
ausa fuit ferrum injicere; in istis verò casus ve-
niam meruit. Pressius hæc urgeri solita à Gen-
tilibus, quibus ne morbi quidem aut langvo-
res aliique casus poterant satisfacere, quò
minùs quacunque ratione mutilatos dimi-
nutosque, ac (θ) multato, ut Tacitus loquitur,
corpore, sacerdotio amoverent. Ex Plinio oc-
currit in exemplum M. Sergius (ι) qui præ-
lio fortissimus dexteram manum cum per-
di-

didisset, ipsa virtute sua effecit, ut *Sacris in Prætura arceretur à collegis, ut debilis.* Pari rigore in Augures animadversum, quos tradit Plutarchus, (u) si ulcus habuissent, ab auguriorum captatione fuisse prohibitos. Quin & in Sacerdotibus fœminis corporis olim spectata integritas: indeque in Virginibus Vestalibus cautum fuit, ne à Pontifice caperetur, quæ (λ) *lingua debili, sensu ve aurium deminuto, aliave corporis labe insignita sit.*

Primus hic ad Sacerdotium gradus fuit; corpore esse integro. Pòst consecratio requirebatur, quæ itidem Sacerdotibus omnibus erat communis. Fiebat per dies septem: quibus sive Pontifex, sive Sacerdos primùm ad ostium Tabernaculi adductus, deinde aqua ablutus, tùm vestibus Sacris indutus, ac capiti oleo sancto infuso, initiabatur: ad quæ omnia tandem accedebat sacrificium, cujus sanguine altare & vestes adspergi solitæ. Exod. XXIX. Hoc rursus imitati Gentiles, nullum, nisi inauguratum, ad officium sacerdotale admisere, teste Dionysio. Imò plerosque etiam Consecrationis ritus, jam adductos, suos fecere. Quod vel ex solis Eleusiniis sacris doceri potest. Ibi nimirum initiandus primùm templum ingressus, statim

tim manus sibi, sumpta è sacro malluvio
 aqua, abluerat. Tradidit hoc Lysias Orat. in
 Andocidem: Καὶ ἀπὸ πάντων τοῖς ἱεροῖς, περὶ
 ἃ ἠσέβησεν. εἰσῆλθεν εἰς τὸ Ἐλευσίνιον, ἐχερ-
 νίσσατο ἐκ τῶν ἱερῶν χερνίβῃ. Vestes quo-
 que, quas initiandi induissent, sacræ erant,
 ut deponere eas, nisi longo usu tritas laceras-
 que, non solerent, & depositas Cereri ac Pro-
 serpinæ consecrarent. Scholiastes Aristo-
 phanis Pluto secunda: Ὁ ἢ μύθει, τὸ
 ἱμάτιον, ὃ ἐφόρει ἐν τῇ μύσει, ἐδέποτε
 ἀπεδύετο, μέχρις ἀντελέως ἀφανισθῆναι ἀρ-
 ρυέν. Idem ibid. Πάτριόν ἐστι, ταῖς θεαῖς
 ἀνιερχῶν καὶ τὰς ἑσπέρους τοῖς Μύθους, ἐν αἷς τύ-
 χοιεν μνηθευτες. Et quid aliàs commu-
 nius, quam initiandos novis vestibus pro di-
 gnitate indui? De Romanorum Pontifice
 Prudentium (μ) audiamus:

*Summus sacerdos, nempe sub terram scrobe
 Acta, in profundum consecrandus mergitur,
 Mirè insulatus, festa vittæ tempora
 Ne cæns, corona tum reprens aurea,
 Cinctu Gabino sericam fultus togam.*

Vin' sacrificium Consecratorium? Ad rur-
 sum Cereris Eleusiniæ initiandos, quos por-
 cum

D

cum

cum immolasse Trygæus apud Aristophanem Pace, testis est:

Ἔς χοιρίδιόν μοι νῦν θάνατον τῆς
δεξιμίας.

Δεῖ δ' μνηθῆναι με, πρὶν τεθνηκέναι.

Unde alibi χοιρία μυσθηνὰ & χοίρας μυσθηνὰς dicit, Acharnensibus. Confer de hoc sacrificio Pierium Valerium, Hierogl. p. 257.

Hæc, quæ hucusque dicta sunt, Sacerdotibus Judæorum omnibus, summo pariter & minoribus, fuere communia. Sunt autem alia, quæ vel Pontificis solius vel reliquorum Sacerdotum propria fuere, Gētilium itidem æmulationi exposita: de quibus porro pauca dicere, desidia nobis non sit.

Constat, Judæorum Pontificem corporis munditie imprimis fuisse æstimabilem; cui servandæ super omni mortuo lex eum polui vetabat, ut ne paternum quidem funus persequi posset: nec nisi Virginem, animo pariter ac corpore puram, ipsi in matrimonium admittebat. Lev. XXI, 11, 13. Utrumque ritum æmulatus Dæmon simia in suis Romæ Pontificibus fuit; de quibus ita Alexander: (v) *Pontifici Maximo cadaver videre nefas fuit; ne quid triste aut lugubre oculis acciperet:*

mul-

multo magis, si hominem insepultum reliquisset. Si tamen in occursum cadaveris imprudens incidisset, interposito velamento ne visum offenderet, salvis ceremoniis prodire poterat. Confirmatur ex Servio, enarrante illud Virgilii in VI Æn. --- Præcipue pius Æneas. Cum nefas, inquit, esset Pontificibus cadaver videre, magis tamen nefas erat, visum insepultum relinquere. Si ne videre quidem, multo minus attingere. Quodque de oppanione veli dictum, robur à Seneca (ξ) accipit, qui ita de Tiberio: Tiberius Caesar, & quem genuerat, & quem adoptaverat, amisit. ipse tamen pro rostris laudavit filium, stetitq̄, in conspectu posito corpore, interjecto tantummodo velamento, quod Pontificis oculos à funere arce- ret. De eodem Tiberio, qui more sæculi istius Imperator simul & Pontifex fuit, Dio, loquens: Tiberio, inquit, impunitas data, quod cadaver (prohibitum enim hoc erat) tetigisset, ac comitatus fuisset, in funere Augusti. Eandem, quæ Pontificibus, Flamini Diali legem posita, ex Gellio cognoscimus: (ο) Locum, in quo bustum est, nunquam ingreditur. mortuum nunquam attingit. funus tamen exsequi non est religio. Festus (π) verò de Flaminibus indefinitè: quod nec tibias funebres audire debuerint: Funebres, inquit, tibia dicantur, cum quibus in-

fanere canitur, quas Flamini audire putabant il-
licitum. Quid? quod Flaminicæ non licebat
habere soleas aut calceos morticinos, id est,
factos ex pecudibus sponte mortuis, teste
Servio in IV Aeneid. Quoniam sua morte ex-
stincta, omnia funesta sunt.

Non minus autem & alterius, quam dixi-
mus, legis, Judæorum Pontifici latæ, de du-
cenda virgine, vestigia invenire est apud
Gentiles, eosque Atticos: quorum Rex, qui
ceremoniarum Antistes erat, à connubio
uxoris, quæ alterius viri thorum experta
esset, lege arcebatur. Habes apud Demosthe-
nem, (e) qui ita de hoc Rege: τὴν ἢ γυναι-
κα αὐτῆς νόμον ἔδειτο εἶναι, καὶ μὴ Ἰππε-
μιγμένην ἑτέρῳ ἀνδρὶ, ἀλλὰ παρθένον γαμεῖν.
Uxorem ejus lege sanxit (populus) esse civem, &
non alteri commixtam viro, sed virginem du-
cendam.

Præcipuum inter omnia, quæ soli Judæo-
rum Pontifici competebant, hoc est: quod
(σ) venerabile illud loci secretum, templi nimi-
rum interius adytum, stylo Scripturæ San-
ctum Sanctorum dictū, in quo Arca fœderis
& Propitiatorium cum Cherubinīs conti-
nebantur, habuit perspectum: quò, præter-
quam ipsi, aliàs nemini penetrare licuit; ne-
qui-

quidem Sacerdotibus, quibus exterior saltē Sanctuarii pars, quæ Sanctū dicitur, cōcedebatur: nedum Levitis, qui ne exteriùs quidē hoc Sanctuarium intrare admissi sunt. Vide sis verò, quò non procedat usque, quum semel frenos laxarit, nefanda superstitio? Et jam Romanorum Pontificum hoc erat proprium, *Religionis arcana cognoscere*, sicut Alexander tradit l. d. Sed quid Romanos dico? Fas nobis sit, mysteria Eleusinia scrutari, quæ abditis hisce Judæorum sacrariis planè videntur ex adverso respondere. In lucem sacra illa abstrusissima produxit publicam, curiosissimus talium indagator, J. Meursius, cujus nos legemus vestigia. Ita autem ille in edecumato suo Eleusiniorum opere: *Mystæ, inquit, in Sacrarii tantum vestibulo consistebant: Epoptæ facti, intra ipsum adytum admittebantur. Colligere est è Seneca loco: Non semel quædam sacra traduntur. Eleusis servat, quod ostendat revisentibus. Rerum natura, sacra sua non semel tradit. Initiatos nos credimus, in vestibulo ejus hæremus. Illa arcana non promiscuè, neq; omnibus patent. Reducta, & in interiore sacrario clausa sunt. Nat. Quest. Lib. VII. cap. XXXI. Et ecce, inquit porrò, ne Epoptis quidem, atq; in adyta jam admissis,*

omnia revelabantur; sed ad servabantur quadam,
 non adspicienda ulli, præterquam ipsis sacrorum
 Præfectis, qui Mystas Epoptasq; creabant. Hæc il-
 le: quæ rectius omninò intelligts, si Mysta-
 rum & Epoptarum discrimen cum eodem ex
 Suida præmiseris: οἱ τὰ μυστήρια παρα-
 λαμβάνοντες, λέγονται ἐν δόχῃ μὲν Μύσται
 μετ' ἑαυτὸν ἴ, ἐπόπται, καὶ ἔφοροι.

Jam verò fidem obtestor tuam, annon My-
 stæ in Cereris sacris dicti, sunt ipsi Judæo-
 rum Levitæ, quos in atrio templi consistere,
 ipsum verò adytum nullatenus ingredi, Deo
 voluit? Et, amabo, alteri illi, Epoptæ vo-
 cati, quid aliud sunt, quàm Judæorum Sacer-
 dotes, quibus in adyti partem exteriorem li-
 cuit intrare, in idemque thymiamata accen-
 dere, & panes propositionis offerre? Illi tan-
 dem sacrorum Præfecti, quibus solis omnia
 patebant, dispeream, si non à Judæorum
 Pontifice duxere initia, qui in abdito Sacra-
 rii recessu quædam potuit lastrare, non ad-
 spicienda ulli, præterquam sibi uni; ac ne
 ipsi quidem sæpius per annum una vice:
 ne crebriore accessu mysteriorum auctori-
 tas vilesceret.

Sed ut ad Romanos revertamur, etiam
 apud illos quædam servabantur in adytis re-
 clu-

clusa, oppidò paucis visenda. Quippe splendidiſſimi Capitolii ſtructura ita efformata, ut & veſtibulum ipſi ſuum eſſet, per quod omnibus deambulaturis licebat incedere: & locus in eo ſecretior haberetur, (τ) quò præter Sacerdotes adire fas non erat; quem proinde cum Julio Polluce *χαριον ἀβανον* & *ἱεργῶν, καὶ ἀψευδῶν, καὶ ἀθεατον, καὶ ἀνάκτορον*, templi locum inaccessum, illibatum, invisum, ac palatium rectè dixeris: unde & oracula reddebantur, ſecundum illud Senecæ, Thyest. act. IV. ſc. I.

Responsa dantur certa, dum ingenti sono

Luxantur adyto fana.

Hæc qui à Judæis accepta eſſe negat, is vel ſummè impudens ſit oportet, vel planè ignoret templum Hieroſolymitanum: cuius atrium nulli erat clauſum; adytum verò ſolis reſerandum Sacerdotibus: in cuius parte anteriore & oracula captabat Pontifex, ad Propitiatorium converſus, ex inſpectione lapidum illorum precioſiſſimorum, quos pettorali adnexos geſtabat, ita adornatos, ut eſſent *אורים ותמים* Urim & Thummim, h. e. *Illuminationes & perfectiones*, ſive ad illuminandum & plenè inſtruendum Pontificem, in rebus difficilibus ac dubiis, accom-

modati: ut Doctores Ebræorum hæc explicant Exod. XXIIIX, 30. Hinc, inquam, ansam arripuit Cacodæmon, simile quid in medias Gentes idololatrias invehendi: ut ipsæ quoque templorum adyta silentio colerent.

Sed, bone Deus, quàm illusum, improba hac æmulatione, mysteriis fuit sanctissimis! Apud Judæos recondito isto loco, qui Sanctum Sanctorum dictus, soli Pontifici apertus erat, Propitiatorium cum Cherubinis augustissimum Redemptionis nostræ negotium præfigurabat. Illud verò, quod tam anxie in Eleusiniis custoditur, nec nisi tot interpositis ceremoniarum observationibus retegitur, quid tandem est? Præfiscine dixerò, cum Tertulliano: (*v*) *Tota in adytis divinitas, tota suspiria Eoptarum, totum signaculum lingvæ, simulacrum membri virilis revelatur.* Quanquam aliter visum CL. Meursio, & ante eum, Petro Castellano, (*φ*) qui naturæ muliebris imaginem, sive, ut in Thesmophoriis eam dici moris erat, τὸν κτένα τὸν γυναικεῖον, muliebrem (*χ*) pectinem fuisse, aliunde probant. Quod posterius, commodum monente Excellentissimo Dn. Præside, sanè vaserrimum antiqui serpentis ludibrium, in *semen mulieris*, è virgine olim nasciturum, &

ca-

caput sibi contriturum: cujus in sanctis Judæorum adytis typos, Arcam fœderis cum Propitiatorio & Cherubinis, isthoc membro muliebri, in Gentilium adytis reposito, *μυελοτεχνίτης* ille nefandum conspurcavit. Utrum autem horum pro vero accipias; utrum ex his verum sit, verè ego cum Gregorio Nazianzeno: *αἰχμώουμαι ποιῆν τιλὸ ἀρχημοσωλῶ τῶν μυστηρίων, οἷδεν Ελεῦσις ταῦτα, καὶ οἱ τῶν σιωπωμένων, καὶ σιωπῆς, ὄντων ἀξίων ἐπόπαι.* *Pudet me, ex mysteriis turpitudinem efficere. Scit Eleusis hoc, & rerum, de quibus siletur, quæq; sanè silentio dignæ sunt, spectatores. Orat. περὶ ἀγίων Φωτῶν.*

Quin denuò, ad Romanos revertor, & unum addo, quod Pontificibus eorum fuit proprium; ita tamen, ut iisdem cum Judæorum Pontifice fuerit commune. Nempe, ut Judæi Pontificis munia libera fuere; cumque reliqui Sacerdotes in ordinem coacti vices stationesq; observarent, ipsi soli omnia sacra & omni tempore obire licuit: ita pariter Romanorum Pontifices, inter Sacerdotes soli, sacra promiscuè omnia commendata sibi habuerunt. Quod Sigonius (↓) deducit ex illo Ciceronis: *Divisq; aliis alii Sa-*
D S cer-

*cerdotes, omnibus Pontifices, singulū Flamines
sunto. II. de LL.*

Pertinet hoc sanè ad eminentiam Pontificalem, suo quævis sacra lubitu & arbitrio posse tractare: sicut è contrario proprium hoc est Sacerdotum, statæ sacrorum functioni adstringi, multisque insuper officiorum molestiis exerceri. Judæos quod attinet, magna profectò non populi solum istius servitus fuit; sed cum primis ipsorum Sacerdotum: duraque omninò conditio, dum sub lege tenebantur conclusi. Etenim atrio illis excedere licitum nō erat, toto *ἑβδομαετίας* tempore, sed persistendum in templo, donec hebdomadaria statio finiretur. Et quidem dum de die sacra fierent, in ea parte templi debebant, ubi sacrificia offerebantur. Quo loco in pavimento stabant semper, nec sedere inter sacra ulli fas erat: perinde, ut neque Aruspicibus Deos consulentibus, aut extra insipientibus. Sed nec noctu atrio discedere, illis permittebatur. Quapropter locus focarius in atrio erat constitutus, quem *המוקד* Rabbini vocant, in quo paratus semper ignis in usum sacerdotum erat, ad pellendum frigus nocturnum; & circa eum locum, *coenaculum* etiam exstructum,
di-

diversis cellis distinctum, in quibus finita diurna operatione habitabant, & de nocte decumbebant.

Hæ, sine omni dubio, sunt cellæ istæ, quæ *וַיִּשְׁכְּנוּ* dicuntur I. Reg. VI, 6. de quibus hæc tradita exstant in Talmudis Babylonici Codice Middoth: *Domus incendii erat contamerata & magna, atq; stratis saxeis circumdata: ubi seniores classis paterna dormiebant, atq; magni claves in potestate sua habebant. Et candidatorum Sacerdotii singulis erat pulvillus suus in pavimento, ubi spatium habebant quadratum unius cubiti. Strata verò quæ fuerint, docet Gemara Babylonica cap. I. codicis Tamid. Strata quid sunt? segmenta graduū, (vel projecturæ è lapide cæso) quibus ascendunt in gradus sive cubilia. Quæ ita explicat Constantinus L' Empereur Comment. in cod. Middoth, quod lapidibus è loco incendii prominentibus, tanquam gradibus, ascenderint, iisque noctu incubuerint, qui spondarum ipsis vicem, quum culcitrae & tomentorum mollitiem illuc inferre non licuerit, pensarint. Ac simile quid de Jovis Dodonei Sacerdotibus refertur, qui tanquam sacrosancti super nudam humum cubare cogebantur, Alex. ab Alex. teste: idemque de Delphici Apol-*

Apollinis sacrificulis constat, qui à Callimacho perquam eleganter dicti sunt

γηλέχαις θεράποντες ἀσκήτοιο λέβητ. *Θ.*

Hæc verò, & diuturnas stationes, & nocturnas cubationes, quis ita sustineat, ut langvor venarumq; inflatio & mille incommoda ipsi non sine pertimescenda? Eapropter delecti sunt inter Judæos, qui publicè Sacerdotum curarent valetudinem: quod munus *ἰατρικόν*, inter quindecim alia, quæ post Babylonienſe exilium primum cœpere, in Talmudis tractatu, *Massehta Schekalim*, cap. V. indeq; à Constantino L'Empereur recensetur c. IV. *cod. Midd. sect. I. p. 138.* Cumque non exiguas molestias in idolorum quoque suorum cultu Ethnicos devorasse certum sit; haud illud inſcitè dictum à Juvenale, in causa planè simili:

--- *varicosus fiet haruspex. (w)*

Ubi vetus Scholiastes: *Multum stando, dum Deos aut exta consulit, varicosus fiet.* Cui paria notat Tho. Farnabius: *Dum multum diuq; stat, Deos consulens, sanguine crasso & melancholico, in pedum venas delabente, fiet varicosus.*

Hæc & multò plura, de personis sacris, ad Sacrificia prærequisitis, sacri nobis produnt & profani Auctores. Quæ collata inter se,
ma-

magnam utriusque populi, fidelium & infidelium cognationem, ob oculos nobis ponant, & dubitare nos non sinunt: pleraque in sacris Gentilium instituta, utut nefarie superstiosa, Judæis sanctius utentibus, accepta referri debere. Novum enim non est, quod impietatis initia, ex Sacris litteris depromantur. Quod porro non tam testantur, quam clamant, infinita illa Gentilium altaria, in omni penè terrarum angulo incoque reposita: de quibus pauca hic addamus; cum Sacerdotes, de quibus modò diximus, his præcipuè operati sint.

Constat, Patriarchas, à quibus orti sunt Gentiles, verò Deo sacrificaturos, altaria posuisse; idque ex ipsius Dei præscripto. Gen. XII, 7. XXVI, 25. XXXIII, 20. Et ante hos Noah altare erexit, in quo Sacrificium obtulit. Gen. IX, 20. Quem sequuti filii ac nepotes, servarunt morem struendi altaria; etiam postquam à veri Dei cultu desciverunt. Inde toto orbe aræ, sacrificiorum usui dicatæ: ob quem & ardentes, calentes, festæ, flagrantes, fumantes, fumidæ, lucentes, odoratæ, pingves, sacrificæ, thuricremæ, aliisq; id genus epithetis Poeticis leguntur insignitæ. Herodotus quidem Euterpe ait: Ægyptios primos

βω-

Βωμὸς ἢ ἀγάλματα Diis statuisse. Idem-
que asserit Diodorus Siculus. Sed quis du-
bitet, Ægyptum inde habuisse Religionem &
aras, unde & incolas? nempe, ex Syria &
Chaldæa, quæ filiaæ erant Judææ.

Apud Judæos aræ etiam erant asyla atque
perfugia hominum sacrosancta; ad quæ con-
fugere possent, qui casu alterum percussissent.
Exod. XXI, 14. I. Reg. II, 28. Idem usus apud
Gentiles receptus, qui aram inde vocant
Βωμὸν Βεύξιμον. Plutar. de superst. Huc
alludit Cic. Sicut in aram, confugit in ejus do-
mum. pro Roscio. Et Terentius:

*Nec te admisce; nemo accusat, Syre, te: nec
tu aram tibi,*

Nec precatorem pararis.

Hinc & Ovidius, amicum certissimum allo-
cuturus, canit:

Unica fortunis ara reperta meis.

Numerus altarium apud Judæos binario
absolvebatur. Unum erat Thymiamatis, in
quo incendebatur thus & alia aromata, in
odorem Deo suavissimum; quod in Sanctu-
ario positum populo attingendum non erat.
Ex. XXX. Luc. I, 11.

Alterum, holocausti, à nobilissimo Sacrifi-
cii genere ita dictum; sed in quo tamen Sa-
cri-

crificia alia omnia offerebantur: unde & in atrio sub dio positum erat, ut fumus facilius posset evolare. Exod. XXVII. Utriusque apud Gentiles, imagines exstant non obscuræ. Ac de posteriore quidem dubitari non potest; nisi simul, sacrificia ab Ethnicis oblata, velis negare. Addam tamen loca Poetarum: Virgilii, Æn. XII.

*Tum Stygio Regi nocturnas inchoat aras;
Et solida imponit taurorum viscera flammis.*

En tibi aram, cui solida taurorum viscera imposita! Hoc verò quid aliud, quàm altare holocausti? Siliii Lib. III.

*Jamq; Deum Regi Martiq; sub omine fausto
Instauratur honos: niveoq; ante omnia tauro
Placatur meritis monitor Cyllenius aris.*

Valerii Flacci, Argonaut. L. I.

*Dabit auratis & cornibus ignis
Colla pater; niveiq; greges altaria cingent.*

Dionys. Halicarn. de Romanis: οἱ δὲ Ἴτι τὰς βωμῶν Ἰπι. Δέντες, ὕψηλον. Hi autem aris impositas (victimas) succendebant Lib. VII. De Ægyptiis Herodotus: ἀγαγόντες τὸ κτλῆ & πρὸς τὸ βωμὸν, πυρὴν χάσσειν. Pecude ad aram adducta, pyram incendunt. Lib. II.

Quin uti Judæi, ante exstructum Tabernaculum, altare holocausti vel ex cespitibus
ter-

terra, vel ex rudi & impolito lapide conficere jussi sunt, Exod. XX, 24. quæ materia etiam aliàs, ubi tumultuario opere altare Deo esset statuendum, adhibita legitur, Jos. II X, 31. I. Reg. XII X, 32. I. Macch. IV, 47. ita Ethnici quoque aras suas, quibus victimas immolabant, ex eadem materia leguntur excitasse. Arrianus enim in Periplo Ponti Euxini, juxta Trapezuntem, civitatem in mari sitam, scribit se vidisse aras erectas ex aspero & impolito lapide. Similiter ex viridi gramine sive cespitibus eas exstruxere. Silius L. VII. de Romano exercitu :

Cespite de viridi surgunt properantiùs aræ.
Virg. Æn. XII.

In medioq; focos, & Diis communibus aras
Gramineas, & c.

Ovid. V. Trist. El. V.

Aræq; gramineo viridis de cespite fiat.

Hujusmodi fuere aræ. Sed nec de altero Judæorum altari, Thymiamatis scilicet, ad Ethnicos translato, videtur dubitandum. Et Epitheta, superiùs recensita, id planè statuminant. Quò accedit testimonium Cyrilli, qui fuisse apud Delum, insulam vetustissimã, altare, in quo nullũ animal offerretur Diis, sed soli odores & suffitus: quod piorũ altare

fac-

fuerit dictum, ipsorummet auctoritatibus Ethnicorum confirmat, Lib.IX. contra Julian. sect.V.

Sed finem tandem imponamus huic protheoriae. Nescio enim quomodo haec interscribendum excreverint, & latius, quam intendere unquam libuerit, diducta sint. Eò autem tendunt omnia, ut, his ita praelibatis, faciliore cursu ad ritus Sacrificiorum, qui à Sacerdotibus in altari peragi consueverunt, descendere deinceps possimus, & demonstrare: singulas illas ceremonias, quas Judæi in illis adhibuere, Gentiles ab iisdem fuisse mutuatos. Quod argumentum quia in praesens potissimum tractare decrevimus, fortasse non extra lineam cucurrisse videri possimus; quod per istas Gentilium fabularum ambages & multifariae κακοζηλίας divoritia, huc tandem, quo itineris destinatio erat, lento gradu pervenimus. Ad quod igitur venimus, hoc agamus.

(a) Gen. XXII, 18, 19. (b) L.I. adversus Gentes p. 13. (c) in Octavio. (d) I. Florid. (e) Act. V. sc. 2. v. 19, 21. (f) Jon. III, 6, 8. Job. II, 9, 12. Esa. XV, 2. (g) ὄδυος. λ. v. 190. (h) ὄδυος. ω. v. 46. (i) Tertull. de praescription. haeret. (k) Lib. I. To. I.

c. XIIX. (l) IV. probl. Sympos. 5. (m) Mayer. part. 2.
 phil S. f. 317. (n) I. Sat. c. II. (o) I. Ant. Con. c. XXXIII.
 f. 124. b. (p) Num. XXXV, 2, 3. (q) I Paral. XXIV, 4, 5.
 (r) II. Par. XXIII, 8. (s) Luc. I, 5, 8. (t) Lib. I. Antiq.
 p. 30. (u) Lib. I. Bibl. (x) Lib. II. Antiq. Rom. p. 133.
 (y) Onuphrius Lib. II. Reip. Rom. (z) Lib. XI. (α) Lib.
 II. de Rep. Ebr. c. XI. (β) L. IV. eleg. III. (γ) II. de LL.
 (δ) Serm. IV. contra infideles Græcos, de materia
 & mundo. (ε) Joseph. I. Belli, c. XI. (ζ) II. controv. II.
 (η) L. II. antiq. p. 92. (θ) I. annal. (i) L. VII. nat.
 hist. c. XXIX. (κ) probl. 72. (λ) Gellius L. I. c. 12. (μ)
 De Divo Romano, Martyre. (ν) L. II. Gen. dier. c. IIX.
 (ξ) Consol. ad Mart. (ο) Lib. X. c. XV. (π) Lib. VI.
 (ε) Orat. contra Neeram. (σ) P. Cuneus, Lib. II.
 de Republ. Ebr. cap. I. (τ) Cæsar. Lib. III. Belli ci-
 vilis. (υ) advers. Valent. c. I. (φ) De festis Græcorū
 p. 173. (χ) Theodor. Lib. III. Græcarum affectio-
 num. (ψ) Sigon. de Jure Antiquo Rom. Lib. I. cap.
 XIX. (ω) Sat. VI. v. 398.



Dis-



Disertationis,
De Cacozeleia Gentilium,
 Pars Specialis.

CAP. I.

An cultus Sacrificiorum lege naturæ sit imperatus. Ad Ethnicos qua ratione pervenerit. Sacrificiorum divisio in ea, quæ latè & improprie, quæq; verè & proprie talia dicuntur. Mincha, sive oblatio frugum apud Ethnicos. Sacrificii strictè & proprie dicti definitio.

Sacrificia, quùm haud longè ab initio rerum lapsuq; à filiis Adami oblata fuerint; at offerenda esse lex naturæ non præcipiat: reliquum est, per legem Divinam positivam injuncta fuisse. Neque enim se nobis probat Gregorius de Valentia, qui hoc officii genus ex recta naturæ inclinatione proficisci, eaq; compulsos cum Patriarchas, tum Gentiles sacrificasse, contendit. *Lib. I. de Missæ Sacrif. c. IV.* cui óμóψηφ is est Bellarminus, *L. I. de Missa, c. XX.* Quorum argumenta Theologis ventilanda relinquimus; & hic unicum solùm, è Gentili schola, virum

sapientem , qui Antimacho olim erat in-
 star omnium , Platonem, (a) illis opponi-
 mus, qui disertè: *ἔδ' οὐ δυνατόν εἰδέναι τῆ
 θνητῆ φύσιν τῶν τοιούτων περὶ.* Non pot-
 est mortali natura quidquam certi de his (sa-
 crificiis & cultu Numinis) cognoscere.
 — *εἰ μὴ θεὸς ἠφῆγοῖτο, nisi Deus dux & au-
 ctor fuerit.* Idem epist. II. ad Dion. *Sacra do-
 ctrinarum mysteria videndum est, ne ad homines
 ineruditos delabantur, non consona futura acumi-
 ni luminis insiti, sed absurda.* Unde est,
 quod de LL. dial. VI. Numam (b) refe-
 rat, arcanos cum Dea Ægeria congressus fin-
 xisse, cujus monitu accepta Diis immortali-
 bus sacra institueret. Quia etiam, si huma-
 nam rationem de hoc Divini cultus genere consu-
 las, alicubi tam capitale fuit, bovem necasse, quam
 civem. Et Solon (c) sapientissimus Atheniensium
 Legislator, bovem immolari disertè vetuit: tan-
 tum abest, ut humana ratio potuerit judicare,
 hunc cultum Deo gratum esse. Sunt verba I.
 Brentii, viri in Sacra & profana litteratura
 versatissimi, *præfat. in Levit.*

Itaque ambabus manibus amplectimur
 sententiam Suarez, in III part. sum. Thomæ,
 q. 83. art. 1. dist. 71. sect. 8. his verbis conten-
 tam: *Nullum est naturale præceptum, ex quo suf-
 ficienter colligi possit, determinationem illius, ad*

ta-

talem modum, cultus, scilicet per Sacrificium, esse
 omnino necessariam ad morum honestatem. Qua
 stante, porrò dicendum: Patriarchas, quate-
 nus fide, verbo Dei innixa, voluntati Divi-
 næ congruenter sacrificarunt, ritum istum,
 speciali mandato ab ipso Deo traditum ac-
 cepisse; ab his autem eundem postea ad Gen-
 tiles quoq; migrasse, qui imitatione eorum, quæ
 à Patriarchis ad venerationem supremi Numinis
 instituta viderunt, ad suas Sacrificiorum ceremo-
 nias processerunt; tum, quia omnes è Noacho or-
 ti: tum, quia ex Patriarcharum vel peregrina-
 tione, vel conversatione, vel celebritate id hause-
 runt: tum, quia fama templi & Religionis in gen-
 te Israelitica instituta, ad orbem etiam fluxit inco-
 las. uti loquitur peritissimus Antiquarius,
 D. Joh. Georgius Dorscheus, Mysaria Missæ,
 c. I. §. 12. Accedit, quod attinet Gentes illas, apud
 quas non vigeat, ex traditione, talium rituum
 memoria, Daemonum, quos colebant, vafrities; qui
 cultus Divini avidissimi, etiam eos ritus suis sug-
 gerebant clientibus, quos à Deo præscriptos fuisse
 populo suo noverant. Ergò partim ex κακοζη-
 λία, qua mundus in quibusdam solet imitari Ec-
 clesiam; partim instigante Diabolo, varia sacrifi-
 cia & varii ritus etiam apud Ethnicos observa-
 bantur. Ita concludit Rivetus, Exerc. XLII. in
 Genes. f. 212.



Dicitur Sacrificium Ebræis זָבַח , à radice זָבַח , quæ eadem propemodum est cū cognata, זָבַח , & significat, *occidit animal*, sive ad epulum hominibus exhibendū, quia magnam cum epulis convenientiam habēt Sacrificia; sive ad cultum vel Deo vel idolis præstandum. Prior significatio rariusculè occurrit, ac locis ferè sequentibus: Deut. XII, 15. I. Sam. XXIX, 24. I. Reg. XIX, 21. Posterior autem multò est frequentior, qua ad Sacrificium designandum adhibetur, idque ita denotat, ut cædem sive mactationem semper involvat: cū hæc ipsa sit de intrinseca ratione sacrificii propriè dicti. Constat enim, impropriè, & per Metaphoram, Sacrificiorum nomine insigniri preces, Ps. CXL, 2. Laudes divinas, Ebr. XIII, 15. gratiarum actiones, Ps. L, 14. Hof. XIV, 4. cor contritum, Ps. LI, 20. fidem, Phil. II, 17. eleemosynas, Phil. IV, 18. Ebr. XIII, 16, & quæcunque opera bona ex fide profecta, Roman. XII, 1. I. Petr. II, 5. Quæ quidem significatio etiam apud Gentiles obvia: cujus exemplum apud Eubulum Comicum, (c) qui Bacchum introducit, cordis Sacrificium sibi poscentem: $\epsilon\mu\omicron\iota\ \tau\iota\ \theta\acute{\upsilon}\omega\sigma\iota\ \tau\iota\upsilon\epsilon\varsigma\ \alpha\iota\mu\alpha\varsigma,\ \kappa\acute{\upsilon}\sigma\iota\nu,\ \mu\grave{\eta}\ \kappa\alpha\rho\delta\iota\alpha\nu\ \mu\eta\delta'$

μηδ' Ἰπιπόλαον. *Sacrificant mihi quidam
 sanguinem & vesicam; cordis autem ne superfi-
 ciem quidem: nec non apud SS. Patres, ē qui-
 bus unum sufficiat adducere Gregorium
 Nyssenum, de Ecclesia loquutū: ἐν τάν-
 τη τῆ σκηνῆ, θυσία τ' αἰνέσεως, καὶ θυμίαμα
 τ' προσδύχης, ἢ τῶ ὄρθρω ἐ τῆ ἐσπέρας ἐνεργ-
 γυμένη, διὰ πάντος καθοράται. In hoc
 Tabernaculo, & laudis victima, & suffitus pre-
 cum, mane ac vesperi offerri semper conspicitur.
 Lib. de vita Mosis. Sed tamen, ut diximus,
 non nisi impropria est, atq; Metaphorica.*

Proprius à ratione veri sacrificii abest
 מִנְחָה, *Mincha*, oblatio seu munus; non
 profanum, quod homo homini dat, Genes.
 XXXII, 20. XLIII, II. sed *sacrum frumentaceū*,
 quod Deo offertur, estque simila cum immi-
 xto aut superfuso oleo, & imposito thure,
 ut discimus ē Lev. II. Quatenus itaque est
 res externa, Deo in altari, cultus & gratitu-
 dinis ergo oblata, eatenus accenseri Sacrifi-
 ciis sanè ab ipso Mose solet; & simile quid
 etiam Ethnicis pro Sacrificio olim habitum
 fuisse, Plinius auctor est, qui ita de Numa:
*Numa instituit Deos fruge colere, & mola salsa
 supplicare. L. XII. c. 2. Ecce hic sacrum fru-*

mentaceum! Mola verò, cujus meminit, est far tostum & sale sparsum, juxta Festum. Unde nata vox immolare, quæ hodie quidem cuius Sacrificii generi designando adhibetur; propriè autem est, molâ, i.e. farre molito & sale, Deos colere: qui antiquissimus fuit, quippe à Numæ temporibus receptus, Deum publicè colendi modus. Idque ante Plinium, rerum Divinarum scientissimus Plato nos docuit; qui ejus memoriam temporis retrò accersit, quo ne gustare quidem carnem bovilam fas erat, nedum animalia Diis immolare. θύματα τε ἐκ τῶν τοῖς θεοῖς ζῶα' πελαγοὶ ἦ, καὶ μέλιθι καρποὶ δεδωμένοι, καὶ τοιαῦτα ἄλλα ἀγνὰ θύματα. Neq; enim, inquit, animalia Diis immolabantur, sed liba, & fructus melle imbuti, & alia hujusmodi pura Sacrificia. VI. de Leg. Qua frugum oblatione mellitalicet Gentiles à moribus Judæorum longius abierint, quum mel sacris inferre Deus venterit, Lev. II, II. hoc tamen inde constat, frugum oblationem etiam à Gentilibus, Sacrificii loco, & antè quidem, quàm animalia immolarent, usurpatam fuisse: planè, ut ab Ebræis id videantur accepisse, quorum primum sacrificium, in Scripturis memoratum, quod Cain obtulit, antequam Abel offerret

pe-


pecora, frumentaceum fuisse legitur. Gen. IV, 3. præclarè hoc observante Lamb. Danao, *Antiq. primæ Mundi ætatis*, p. 227. De ejusmodi liborum sive placentularum ex farre, oblatione etiam Pausanias Lib. I. qui de Atticis est: *In vestibulo Jovis supremi ara est, ad quam victimas non cædunt, sed liba duntaxat adponunt, ac vino quò minis utantur, Religione prohibentur.* Rursum, ad institutum Ebræorum; qui in oblatione frugum, seorsim absque victimis facta, vinum nullum adhibuere.

Veruntamen quùm oblatio qualiscunque, in altari ad Dei cultum facta, integram veri Sacrificii rationem non absolvat; idcirco nec eam ob causam *Mincha* Sacrificii strictè & propriè dicti appellationem tuebitur. Potuit sanè hoc munus, sacrificio, ut ita dicam, animato vel carneo junctum, unà cum eo verum sacrificium constituere; (jungi autem illi, & velut appendicem illius esse, Deus ipse mandavit, Num. XV, 3. & similiter factum à Gentilibus fuisse, ex dicendis clarebit) Verùm seorsim per se, ac solitariè oblatum id potuisse, profectò quidem rationi sacrificii propriè sic dicti repugnat. Quod nos, præeuntibus Theologis, dicimus & defini-
mus esse *immolationem animantis, factam in Dei*

E s cul-

cultum & obsequium, juxta Dei ipsius voluntatem & prescriptum. Cujus definitionis singula membra nunc porro declarare, curæ nobis esto.

(a) LL, appendice. (b) Val. Max. L. I. c. 3. (c) Alex. L. III. c. XII. (d) cit. Clem Alex. VII. Strom.



CAP. II.

Materia sacrificiorum, animalia. Quot & que Judæis immolata. Eadem immolata Gentilibus, sed cum auctario plurium immundorum. Que corporis vitio essent affecta, aut nondum octo dies nata, immolare nefas. Interdum tamen & morbida à morbidis simulate pietatis cultoribus oblata.

Primò Sacrificium dicimus, esse *immolationem animantis*. Quo ipso, tum significationem nominis Metaphoricam, tum etiam oblationes illas sine cæde & sanguine factas, segregamus; ac unicam veram Sacrificiorum materiam constituimus, animalia. De his verò certa lex erat Divinitus Judæis lata, ut, quæ Sacrificiis apta essent, quæ minus, internoscere possent. Sola nimirum animalia munda ad hunc cultum destinata erant, exclusis immundis. Quæ distinctio animalium jam tum Noachi tempore cœperat,

rat, qui ex mundis plura, ex immundis pauciora deligere, & in arcam recondere, imminente primi mundi cataclysmo, jussus fuit. Gen. VII, 2. Delectus autem ille, si quidquam aliud, certè Sacrificia spectasse videtur. Quibus semper non nisi animalia munda adhibita fuisse, in testem est constans Scripturæ Sacræ consensus. Nec ea tamen omnia, sed ex eorum numero quædam solùm ad hunc ritum fuere assumpta. Cùm enim mundities animalium vel ad *esum* referatur, ut Lev. XI; vel ad *usum Sacrificiorum*; ad illum quidem ea animalia usurpari poterant omnia, quæ Sacrificiis apta erant, sed non contrà. Nullus namque piscium Sacrificiis inserviebat; (etiam Ethnici illius Syllæ testimonio: *ἰχθύων θύσιμα* & *ὄρνιθων, ὅθεν ἱερευσιμὸς ἐστὶ* Sympos. Plut.) at esui omnes illi, qui pinnulas habent vel squamas. Lev. XI, 10. Itaque ad Sacrificia quædam duntaxat ex mundorum genere adhiberi fas erat. Scilicet, ex volucribus: turtures & pullos columbinos. Lev. I, 14. Ex quadrupedibus autem: boves, agnos, & capras (intellige utrumque sexum) Lev. XXII, 19. Cum quo loco alius paulò obscurior conferendus, qui est Lev. I, 2; ubi boum & ovium solùm mentio fit. In Ebræo autem

oves

oves exprimuntur voce *INŶ*: quæ vox cum interdum generalis sit, ad utramq; speciem ovium & caprarum; quid obstat, quò minus & hîc loci duas hæc minorum pascualium species simul designet; atque adeò eandem hic significationem obtineat, quàm infra, hoc ipso capite, comm. 10? Summatim ergò dicendo, quinque, ex universo mundorum grege, Domino offerebantur animalia: Boves, Agni, Capræ, Turtures & Pulli columbarum; *tùm, quòd hæc mansuetissima sint animalia: tùm, quòd minore difficultate haberi possint: tùm, quòd maxime apta, ut essent rerum futurarum symbola, maxime verò Christi & passionis ipsius.* Bonfrerius in Lev. I.

Singulas has animalium species Ethnici quoque immolare consuevere. Boum immolatio peculiari nomine *Βεθύσια* Græcis dicta: quam ex Latinis Svetonius, eodem nomine retento, *Butysiam* (a) appellat. Fiebat plerunque magnifico apparatu, & præsertim rebus in arduis; adeò, ut *Βεθύσιαν* proverbialiter dicerentur, qui amplos magnificosq; sumtus facerent. *Divitum enim est, vel Regum potius, boves immolare.* Erasmi Adag. Testantur hoc exempla: Sacram; Salomonis, boum duo & viginti milia,

lia, in templi dedicatione immolantis, I. Reg. VIII, 63. & profanum; Nestoris, sumtuosum LXXXII taurorum Sacrificium, in littore maris Neptuno offerentis, ut est apud Homerum, *Odyss.* γ. Hinc, ut inquit Plinius, *victime optime, & lautissima Deorum placatio.* Lib. IIX. c. 45. Sed nec à vaccis abhorruere, attestante (b) Virgilio:

Sterilemque tibi, Proserpina, vaccam.

Id in super nonnunquam, in hoc animantium genere, tum Judæis observatum, ut hostias in juges offerrent, Num. XIX, 2; tum pariter Gentilibus, qui Minervæ virgini non vaccam aratro emeritam, sed (c) *intacta cervice juveneam* consecrarunt; hanc hostiam ipsi *νεαζέστη καὶ ἀζυγὴ* optimè convenire rati.

AGNOS & HÆDOS, uti in lingua Sancta nomine juncti sunt: nam agnus, Ebræis אֵילִם dictus, in Scripturis sæpè hœdum vel capram adsignificat, ut: Gen. XXX, 32. Exod. XII, 5. Deut. XVI, 4. ita à Gentilibus oblatos Homerus junctim nobis exhibet *Odyss.* T. v. 398.

εὐμερίας τῶν ὄντων κεχαρισμένα μηρία καὶ ἐν ἀρνῶν ἡδὲ ἐρίφων.

Mer-

*Mercurius; huic enim grata crura comburebat
Agnorum & hædorum.*

Sed præstat fortassis uno velut pugillo omnes quadrupedum species, quæ sunt immolari solitæ, comprehensas pandere verbis ejusdem Homeri, (d) quibus inquit causam pestis ab Apolline, ut putat, immissæ:

Ἐἴτ' ἄρ' ὄγ' εὐχολῆς νυθιμέμεφεται, εἰθ' ἑκατόμβης

Αἰκέν τ' ὡς δένων κνίσης αἰγῶν τε τελείων
βέλε' ἀντιάσας, ἡμῖν δ' ἀπὸ λοιγὸν ἀμῦναι.

*Sive hic nos ob vota non-reddita incusat, sive
Hecatomben:*

*Aut si fortè ovium nidorem, caprarumque
integrarum*

Assequutus velit à nobis pestem depellere.

Hactenus ergò eadem Judæos & Gentiles animalia quadrupedia immolasse constat. Verùm intra hosce limites non continuit se vaga superstitio, sed, ut Deorum numerum hostiarum multitudine æquaret, immunda Diis immundis sacra fecit; immolando: PORCOS, Cereri, teste Ovidio, I. Fast. v. 349.

*Prima Ceres avida gavisa est sanguine porce.
ac Telluri, secundum illud Horatii, L. II. Ep. I.*

Tel;

Tellurem porco, Sylvanum lacte piabant.

Equos, Marti, ut est apud Plutarchum, *Qu. Rom. LXXXIII.* Asinos, Priapo: cujus rationem pudendam referunt Lactantius, *Lib. I. c. XXI,* & Arnobius, *contra Gentes, Lib. IV.* Mulos, quos à Romanis in Consualibus (ludis, in honorem Consi Dei institutis) ad sacrificium fuisse adhibitos, Alexander tradit, *V. Genial. dier. c. XXVI.* CANES, quibus iidem uredines atq; sævitiem Caniculæ sideris placabant, juxta illud Ovidii, *IV. Fast.*

Pro cane siderio canis hic imponitur aris.

Quin FERAS etiam & beluas, præter domestica animalia, Diis Gentilium legimus oblatas. Sic enim Aprum Parrhasii in Arcadia Apollini *Επιτρέτω*, i. e. *Opitulatori*: cervam Dianæ, loco Iphigeniæ: Lupum Marti dicabant atque sacrificabant. Stuckius, *descript. sacrif. Gent. f. 47.* Quo ipso spurcitiem, suam porcine, equine ferociam, stupiditatem asinine, canine impudentiam, ferine audaciam, desperatam quin etiam immunditiam ac fœditatem abundantissimè prodidere. Nec ab hac culpa Majores etiam nostri levare possunt, quos omnis generis animalia immolasse, auctor est Procopius, *rerum Gothicarum Lib. II. de Sueonibus, Gutis,*

tis, cæteris Scandinaviæ peninsulæ incolis
 ita loquens: *Θύσσι ἡ ἱερεῖα πάντα*, i. e.
Immolant omnis generis hostias. Et de Germa-
 norum consanguineis Gallis Strabo, *Lib. IV.*
Κατασκοδᾶσαντες κολοσσὸν Χόρτῃ, ἢ ξύλου
ἐμβαλόντες εἰς τῆτον, βοσκήματα καὶ παν-
τοῖα θηρία καὶ ἀνθρώπους ὠλοκαύτῃν, h. e.
Fæni colosso exstructo, lignoq; subdito, pecudes &
omnis generis animalia ac homines concrema-
bant.

Ex volatilibus solam, ut diximus, colum-
 binam speciem, Turtures nempe & pullos
 Columbæ, in Sacrificium Deus sibi elegit, &
 offerri mandavit; idque statim, quando iniit
 fœdus cum Abrahamo, *Gen. XV, 9.* Hujus
 columbinæ oblationis rariora in scriptis
 Ethnicorum invenire est vestigia: nisi, quod
Turtur, ob silentium, Harpocrati, in Sacrifi-
 ciis Iſidis & Serapidis simulacro, sacer fuisse;
 & *Columbæ albæ Veneri*, ob frequentem fœ-
 tum & coitum, oblatae leguntur. Potius au-
 tem ipsis erat Sacrificium Galli gallinacei,
 qui & *Nocti Deæ*, nocturno tempore, im-
 molabatur, teste Ovidio, *I. Fast.*

Nocte, Deæ noctis, cristatus ceditur ales;
 & *Æsculapio sacer erat: quod alludit Lipsi*
 Cent.

Cent. I. ep. II. Nunc cum Deo favente revalui. & gallū debeo Æsculapio tuo. Anseres quoq; Isidi, Deæ Ægyptiorum, Herodoti testimonio, mactabantur, jecurq; illi adponebatur. lib. II.

Hæc de speciebus animalium, quæ solebant in Sacrificia offerri, dicta sunt. Unde cuivis in proclivi est colligere, partim convenientiam Gentilium cum Judæis, omnia ea animalia offerentium, quæ Judæi offerre consueverunt: partim disconvenientiam, quando immunda etiam Diis suis animalia immolare non sunt veriti.

Sed cum immundities animalium duobus modis possit contingere: vel, secundum speciem; vel, per accidens, ut Abulensis distinguit, non ea tantum, quæ secundum speciem immunda sunt, à Sacrificiis suis Deus voluit exclusa, ut quæ ne quidem comedere Judæis fas erat, ceu ex Lev. XI dictum est superius; sed & quæ per accidens, ob quodcunq; corporis vitium, aut ætatis immaturitatem, immunda essent, immolare vetuit. Exstat lex Lev. XXII 21. *Omnis homo victimam Deo acceptam oblaturus, (e) □ □ perfectam offeret, omni naevo carum: Sin cæcum fuerit animal, vel fractum, vel cicatricem habeat, aut papulas, aut scabiem, aut im-*

F

pe-

petiginem, Sacrificiis aptum non est, nec adoleri
 dignum in altari Domini. Bovem & ovem aure &
 cauda amputatis voluntariè offerre potes; votum
 iisdem solvere non potes. Cui gemina est alia,
 eodem capite, comm. 27. Bos, Ovis & Capra,
 cum genita fuerint, septem diebus erunt sub ubere
 matris suæ: die autem octavo & deinceps offerri
 poterunt Domino. Quam posteriorem scitissi-
 mè explicat Petrus Cunæus: Cuncta, inquit,
 animantes, cum recens natae sunt, quia brevem lu-
 cis usuram habuere, & incertum adhuc est, an vita
 illis vitalis sit, ante octavum diem vix in censu ani-
 mantium æstimantur. ad hoc nondum spurcities
 diffluit, quæ ex utero illis atq; ex partu credita est
 adherescere. Ea causa est, cur ex hoc genere ma-
 culari victimas sibi vetuerit Deus, cui ingratum est,
 quicquid semiperfectum aut impurum est. lib. III
 de Rep. Ebr. c. V. Eandem causam ad infantes
 ibidem refert, quibus ipso octavo à partu die
 circumcisis nomina demum imponi sole-
 bant. Quæ consuetudo (ut hoc obiter mone-
 am) die octavo nomina imponendi, eadem-
 q; consuetudinis illius ratio, plurimis etiam
 aliis gentibus fuit; quod Philosophorum A-
 quila nos docet, lib. VII de hist. anim. c. ult.
 plurimi, inquiens, antequam exactus sit dies septi-
 mus, intereunt; & hanc ob causam tunc nomina

omne

imponuntur, tanquam salutis iam pueri magis credamus. Quanquam ipso etiam septimo, quibus & decimo die nomina imponi solita, aliunde discamus, docente Meurfio, *part. II. Exerc. Crit. c. XXXIII.* Sed hæc, ut dixi, ὡς ἐν παρόδῳ.

Cæterum utriusque jam dictæ legis Gentiles observantissimos, & magis hic circa accidentalem, quam supra circa immunditiam eam, quæ secundum speciem erat, curiosos deprehendat, qui scripta eorum mediocris studio evoluerit. Ac (liceat nobis ὑπερολογεῖν) tantum abest, ut animal ante octavum à partu diem Sacrificio faciendo fuerit adhibitum, ut creditum nonnullis sit, pecudes demum, cum bimæ sunt, Sacrificio maturas fieri, teste Alexandro *lib. II. c. XII.* Quod videtur illo Virgilii innui, *IV. Æn. ver. 57.*

Mactant lectas de more bidentes.

Ubi Servius: *Bidentes, ait, dictæ sunt, quasi biennes, quia neque majores, neque minores licebat hostias dare.* Sed convenientius legi divinæ loquitur Plinius, pecudes ipso die octavo Sacrificiis idoneas pronuncians: *Sui fœtus Sacrificio die quinto purus est, pecorum die octavo, bovis trigesimo.* Et annectit, quod modo diximus: *Coruncanius ruminates hostias, donec bidentes fierent, puras negavit. lib. VIII. c. LI.*

Non minùs autem priorem illam legem, quæ animalia clauda, manca & morbo affecta immolare vetat, Ethnici accuratè obser- varunt: qui nisi perfecta, sana & integra animalia ad rem Divinam non admittebant. Eligebantur enim apud eos hostiæ & ex cæ- tero grege puriores eximebantur: quæ idcir- co & *lectæ* & *eximie* dicebantur. Prius occur- rit apud Virgil. l. d.

Mactant lectas de more bidentes.
posterior, apud eundem IV. Georg. ver. 550.

Quattuor eximios præstanti corpore tauros.
Quæ uberius declarat Alexander, de hostia- rum generibus disserens: Hæ, ait, frequentes fuere: ovis, sus, capra, bos, gallina & anser: quas eū- immolabant, nisi pure essent: & *lectæ*, ad rem Divi- nam non proficere putabant. *Lectæ* autem di- cuntur hostiæ, majores & uberius depastæ, quæ clauda, morbose aut vitiose non sunt, quæ ve fixam aurem, vel caudam aculeatam aut linguam ni- gram non habent. lib. III. cap. XII. Vides, etiam caudæ & aurium in hostiis Ethnicorum ra- tionem habitam fuisse, non secus ac apud Ju- dæos. Accedit testimonium Plinii, qui ita de vitulis: *Victimarum probatio in vitulo, ut ar- ticulum suffraginis (cauda) contingat: brevior non litant. Idem; nec claudicante, nec aliena hostia*


De-

Deos placari, notat lib. VIII., cap. XLV. Cura verò ista probandi & eligendi hostias tum illis incumbibat, qui eas præbebant, tum Sacerdotibus, qui eas jugulabant, eorumq; ministris. Etsi enim qui hostias immolandas dabant, summam in earum delectu cautionem adhibebant, ne quid fortè porrigeretur ex his, quæ Religio repudiat; tamen Sacerdotes quoq; & eorum ministri, ut popæ & victimarii (de quibus supra) eas ab imis ungvibus usq; ad verticem summum diligentissimè explorarunt, ne vel minimum vitii in illis latere deprehenderetur, quo ad iram Dii commoverentur. Exploratio illa, apud varios varia, Ægyptiis tantis observari ceremoniis animadversa est, ut linguam bovi exserendo, & caudæ pilos explorando, si vel unum pilum nigrum repererint, hostiam tanquam impuram non admittant, testante iterum Alexandro, l. d. Cælius Rhodiginus, Antiq. Lect., lib. VII, c. 1. Grecis, inquit, moris erat, tauros quidem explorare farinâ adposita; Capros verò ciceribus. Nam si gustare abnuissent, concipiebant inde, haud valere satis. Capras verò etiam frigida aqua.

Veruntamen uti apud Judæos, politia eorum ad interitum paulatim vergente, reperiuntur, qui cæca & clauda animalia ad Sa-

crificia offerre non dubitarent, Mal. I, 8. sic & apud gentiles, in ultima Paganismi ætate constitutos, ac superstitionis avitæ penè per-
tæfos, ejusdem farinae homines fuere, quibus Tertullianus suo ævo (vixit autem sæculo, à nato Christo, tertio) opprobrio vertere po-
tuit, quod Diis suis manca, macilenta & sca-
biosæ quæq; mactarent. *Volo, inquit, & ritus vestros recensere: non dico, quales sitis in Sacrifi-
cando, cum enecta & tabidosa & scabiosa quæq; mactatis: Cum de optimis & integris supervacua quæq; truncatis capitula & ungulas, qua domi quoq; pueris vel canibus destinassetis.* Apol. adv. Gentil. cap. XIII. Quid hic sint capitula, pul-
crè explicat in Notis Fr. Junius: *Sunt hic capi- tula abjecta partiū ἀκρωτηρίασματα atq; rese-
mina, que Sacrorum ritu in proficio erant. profici- um autē Festo adpellatur, quod profectū projicitur.* Tātū de Animalib9, ceu materia Sacrificiorū.

(a) in Nerone. (b) VI, Æn. ver. 251. (c) IV, Georg. ver. 551. (d) Iliad. a. ver. 65. (e) De voce Ebraea, Sixt. Amama. Antib. p. 460.



CAP. III.

Species Sacrificiorum tres. Holocausta, Expiatoria & Pacifica. De iis sigillatim, quomodo Gentili- bus fuerint in usu, docetur, & quædam leviter Scripturæ loca tanguntur.

Poro

Porro immolationem animalium fieri debebat in Dei cultum & obsequium. Cultus a. ille tribus præcipuè modis absoluitur: vel testificando, se suaq; omnia Dei esse, in ejusq; obsequium impendi debere: vel peccatorem se confitendo, qui mortem ac pœnam æternam sit promeritus & remissionem expetendo: vel gratias agendo pro acceptis beneficiis, aut benefica supplicationibus & votis à Deo eliciendo & impetrando: ut hæc, à Theologis explicata, huc nobis liceat adponere. Unde tres exsurgant Sacrificiorum species, propriè sic dictæ: Holocausta, Expiatoria & Pacifica.

Holocaustum, perfectissima Sacrificii species, meritò choream ducit, quo offerens se totum coram Deo velut effundebat, suaq; omnia ipsi se debere & lubenter etiam oblaturum profitebatur, substituendo interim suo loco hanc victimam, quæ id ipsum sui absumptione significaret; quando scilicet tota igni comburenda tradebatur. A quo ritu & nomen datum huic Sacrificiorum speciei ὁλόκαυστον, quasi *totum crematum* dicas: ita, ut nihil inde vel Sacerdotibus cederet in epulum, vel offerentibus Laicis, sed Deo in solidum omnia. Et victima in holocaustum

oblata inde dicitur ὀλοκάυτωμα, Ebr. X, 6; ipseque actus holocaustum Sacrificandi, ὀλοκάυτωσις. Ebraei יִלְחִיבּ dicunt, ab יִלְחִיבּ, Elevando vel Ascendendo: quod elevaretur super altare, odorque ejus in altum ascenderet, in Dei conspectum. Ab יִלְחִיבּ postmodò in Hiphil est יִלְחִיבּ, Obtulit: Unde rursus in Hophal dicitur יִלְחִיבּ Oblatus fuit super altare, Jud. VI. 28. Ad quem modum Christus etiam suum Sacrificium per ὑψωθῆναι, Ex-tolli, exaltari describit, Joh. III, 14. Et Joh. XII, 32. εἰὰν ὑψωθῶ ἐκ τῆς γῆς. Quo ipso verum se ὀλοκάυτωμα fore declarat. Dicitur & יִלְחִיבּ, Ps. LI, 22. ad verbum: *perfectum, absolutum, consummatum*; Sacrificium quippe totum igne comburendum. B. Lutherus vertit, Brand Opfer. Quo respectu vocatur etiam יִלְחִיבּ, Ignitum, Lev. I, 9. VII, 5.

Ad imitationem hujus fiebat Græcorum ἑλεῖν; inquit Peucerus, de divin. extisp. Et Stuckius similiter, cum de יִלְחִיבּ dixisset: Huic, inquit, respondet Romanorum Protervia & Græcorum ἑλεῖν. Lib. I, Antiq. conv. c. XXXIII. p. 116. b. Sed nobis de utroque videtur dubitari posse. Nam Proterviam quidem quod atti-
nct,

net, audiamus ipsum Stuckium, qui ita ea de re: *Apud Ethnicos fuit Sacrificium, quod vocabatur Protervia, in quo mos erat, ut, si quid ex epulis superfuisset, igne consumeretur. Hinc Cateni iocus est. Namq; Albidium quendam, qui sua bona comedisset, & novissimè domum, quæ ei reliqua erat, incendio perdidisset, proterviam fecisse dicebat, h. e. id quod comesse non potuit, combussisse. Lib, III, Ant. Conv. c. ult.* Atqui verò in holocaustis Judæorum nullæ prorsus agitabantur epulæ: Sed tota oportebat in honorem Dei comburi. Potest autem hæc Protervia ad alium Judæorum ritum commodiùs referri, quod Amplissimus Senator Parisiensis, Andreas Tiraquellus, (a) facit, qui: *Simile, inquit, Sacrificium in agno paschali erat ex Mosis legibus, ne scilicet quid ex sacris epulis relinqueretur, & si quid reliqui esset, id igni traderetur, ut scribitur Exod. XII, 10. Confer. Exod. XXIX, 34.* Illa verò Græcorum ἑλεῖν nihil aliud est, quam initiatio in sacris fieri solita, vel etiam Sacrificium initationis: quod LXX quoq; vertunt $\text{θυσίαν ἢς ἑλειώσεως}$, Lev. VII, 37. quod apud Ebræos quidem ex tribus Sacrificiorum speciebus constabat, Holocausto, expiatorio & pacifico; sed, si inde colligendum, ἑλεῖν respondisse Holocausto,

E 5 quid

cap. præc. Sunt, qui illud Virgilii huc referunt:
Et solida imponit taurorum viscera flammis. VI,
Æn. Signatè Lucianus: Ἐπὶ πᾶσι δὲ πῦρ ἀνα-
 καύσας, ἐπέθηκε φέρων αὐτῇ δορᾷ τὴν αἶγα,
 καὶ αὐτοῖς ἐρίοις τὸ πρόσβατον. *Post omnia de-*
num incenso igne capram ipsam pariter cum pelle
deportatam (Sacerdos) imponit: ipsam item
cum lanis ovem. Tom. III. lib. de Sacrific. Quan-
 quam in hoc differat Judæorum Holocau-
 stum ab hoc Luciani, quod in illo pelles non
 simul comburerentur, sed Sacerdoti cede-
 rent, qui illud obtulisset super altare, ut dici-
 tur Lev. VII, 8.

Hæc de Holocausto. Erant autem, præ-
 ter hoc, alia Sacrificiorum genera, quæ
 non integra fuere concremata; sed eorum
 pars quædam Sacerdotibus cedebat, pars ve-
 rò Laicis, ut comederent. Talia apud Judæos
 Expiatoria & Pacifica. | Num. XVIII, 10. Lev.
 X, 14. Talia & apud Gentiles, quæ non tota
 deflagabant, ut ex illo Homeri patet,
 Odyss. ξ. ver 429.

Καὶ τὰ μὲν ἐν πυρὶ βάλλε. —

Μισυλλὸν ἴατρα τ' ἄλλα καὶ ἀμφ' ὀφελῶϊ-
 σιν ἔφεραν.

EE

Et partem quidem in ignem jecit.---

*Minutatim verò secuerant alia & circum verua
fixerunt,*

Assaveruntq; ritè, extraxeruntq; omnia.

Posuerant autem in discis simul omnia.

Ubi convivii & distributionis victimæ
assæ inter amicos mentio fit. Sed in specie de
Expiatoriis & Pacificis quædam dicenda.

Expiatoria erant duplicia: Una species
dicitur חַטָּאת peccatum. Græcè, ουσία
περὶ ἁμαρτίας. Germanicè: SündOpfer.
Altera, זָבַח Delictum. Græcè, ουσία
πλημελίας. Germanicè: SchuldOpfer.
Utrobiquè; in Ebræo Metonymia; quia in illas
hostias peccata delictavè populi, reatus, ira
Dei & peccati pœna quodammodo transfe-
rebantur, per imputationem. Quem loquen-
di modum in N. T. Apostolus imitatus, Chri-
stum pro nobis factum ἁμαρτίαν, i. e. peccato-
rem summum, non peccatis propriis sed alienis,
ipsi, ut Sacrificio vero propitiatorio, imputatis &
impositis, II. Cor. V, 21. pronunciat. Huc referen-
da illa omnia, quæ lustrandi vel purgandi fine
leguntur oblata; sive à puerperis, Lev. XII,
6, 8. sive à Leprosis, XIV, 10, 21, 22. sive à Viro
seminifluo, XV, 14. sive deniq; à muliere
menstruato sanguine, naturaliter aut morbi-
ficè

ficè effluente, contaminata, XV, 29. quæ omnes inmunditiæ, utpote graviores, solis lotionibus expiari non poterant, sed Sacrificio insuper indigebant, quo penitus eluerentur. Inprimis solenne illud **כיום הכפורים** die expiationis peractum Sacrificium huc spectat, quo peccata totius populi ab ipso Pontifice expiabantur. Lev. XVI.

De Ethnicis, an Sacrificia habuerint Expiatoria, dubitari non potest. Inde namq; *piaculum*; quod perinde, ut Ebræorum. **פונדק** non crimen tantum & flagitium denotat, sed ipsum etiam Sacrificium piaculare. Virg. VI, Æn. --- *Ea prima piacula sunt.* Horatius: *Teg, piacula nulla solvent.* Plautus in Epidic. Act. I, sc. II. v. 36, 37. *Mene piaculum oportet fieri propter stultitiam tuam, ut meum tergum stultitiæ tue subdat succidaneum? i. e. oportet ne tuam stultitiam mea pœna expiari? Exemplum Sacrificii expiatorii est apud Homerum: qui Calchantem vatem introducit, Agamemnoni Regi suadentem, ut delictum, quod in Chrysen Sacerdotem commiserat, propter quod & pestem Apollo exercitui Græcorum immiserat, hecatomba expiare & sic Deum placatiorem reddere velit, Iliad. 4. ver. 94, seqq.*

אָפּער

ἀγειν θ' ἱερὴν ἑκατόμβην
 Ἐς Χρύσην, τότε κέν μιν ἰλασάμενοι πεπί-
 θοιμεν.

Ducatur sacra hecatomba

*In Chrysem: Tunc ipsum fortè placantes persua-
 debimus. Silius, lib. III.*

--- Niveoq; ante omnia tauro
placatur meritis monitor Cyllenius aris.

Idq; frequentissimum inter gentiles, Deos
 iratos, mala publicè irrogantes, Sacrificiis
 placare. In quam rem plurima exempla con-
 gessit Stuckius, *descript. Sacrif. Gentil. f. 149, seqq.*
 Ac interdū quidem placidis Diis & clemen-
 tibus usi sunt; cujus exemplum apud Diodo-
 rum Siculum: *Aristæus, consulto parentis oraculo,
 in insulam Co profectus, cum totam pestis Græci-
 am popularetur, pro salute omnium Græcorum per-
 litavit: Cùmq; sacrum illud circa Sirū ortum per-
 ageretur, in quem Etesiarum flatus incidit, pestilen-
 tia finem habuit. Lib. IV, Bibl. Hist. p. 195. D.*
 Aliquando verò minùs sibi propitios redde-
 re, donis etiam plurimis oblatis, potuerunt; de
 qua inclementia leno ille Plautinus con-
 queritur, in pænulo:

*Ego hodie infelix DIS meis iratissimis
 Sex agnos immolavi: nec potui tamen
 propitiam Venere[m] facere ut esset mihi:
 Quoniam litare nequeo, abii illinc illicò*

Ubi

Ubi litare idem, quod καλλιεργεῖν, Sacrificando à Diis petita impetrare. Huc refer illud Horatii, modò citatum:

--- Teq̄, piacula nulla solvent.

quod cum sacro illo Oraculo convenit. Jura-
vi domui Eli, nō fore, ut expietur iniquitas domus il-
lius Sacrificiis & oblationibus in eternū. 1. Sam. III,
14. Sed & Lustralia sacrificia inter Gentiles
plurima, quæ & Februa illis dicta; eò, quòd,
sive personis sive rebus quocunq̄; modo pol-
lutis, Deos sibi crederent adversos esse & in-
fensos. Quapropter tūm lotionibus, tūm Sa-
crificiis se lustrarunt. Qua de re iterum
Stackius, ut solet, studiosè, l. c.

Utrum hic addo de Puerperis, quæ apud
Gentiles, æquè ut apud Judæos, immundæ
habebantur, & bene longum tempus à sacris
exclusæ; adeoq̄; lustrationis vel maximè in-
digæ. Quo factum, ut ipsas etiam ædes puer-
peræ, intrare, qui superstitioni essent, recusa-
rent. Est hoc apud Euripidem in Iphigenia
Taurica.

Si quis nocentes cæde consceleret manus,

Corpusvè tangat mortuum aut puerperam,

Altaribus ceu impium prohibet suis.

Idemq̄; Teophrastus prodidit, de superstit.

Δασιδαιμονα ἔτ' Ἰπὶ νεκρῶν εἰθεῖν ἔτ' Ἰπὶ
λε.

λεχω. Nam & ipsæ mulieres, quæ in partu adfuerant, & obstetricando iuverant, quinta post die manus abluere solebant; qua eadem etiam Sacrificium oblatum & munera missa. Plautus Truculento:

PH. *Quin Diis Sacrificare hodie pro puero volo,
Quinto die quod fieri oportet. DI. Censeo.*

PH. *Non audes aliquod mihi dare munusculum?*
Justum autem puerperii tempus, ut Ebraeis tres & triginta, si masculum enixa esset mulier; vel, si femellam, sex & sexaginta dies Deus ipse statuit, Lev. XII: Sic illi quadraginta dies censebant, nisi morbi juberent producere: & post dies illos, uti templum rursus ingressæ Ebraeorum mulieres, se purgandi causa; ita Gentiles exacto stato illo tempore festum agitabant. Censorinus cap. XI. *In Grecia dies habent quadragesimos insignes. namq; prægnans ante diem quadragesimum non prodit in sanum, & post partum quadraginta diebus pleræq; fœtæ graviores sunt, nec sanguinem interdum continent: & parvuli fermè per hos dies morbidi sine visu nec sine periculo sunt, ob quam causam, exacto hoc tempore diem Festum solent agitare, quem τεσσαρακονθὸν adpellant. Isto a. die Festo Sacrificia quòq; eos obtulisse, vero est similitimū. Sed magis adhuc ad legē Judæis latam*
acce

accedit Medicorum princeps, Hippocrates, qui de foeminarum purgatione loquens, eas, quæ mares pepererunt, citius purgari asserit, diebus videlicet XXX, aut minimum XX; quæ foeminas, tardius, ac diebus demum XLII, aut minimum XXV; idq; eò, quod mares in utero citius formentur, puellæ tardius. Cujus ipsa verba, ex *L. de natura pueri*, citat Fr. Vallesius, *de Sacra Philof. c. XIIX*. Videatur præcipuè J. Meursii tessellatum de puerperio Syntagma, *cap. VI. & VII.*

Pacifica Sacrificia, Ebræis יְמִינֵי

Græcè *Εὐχαιμὰ & σωτήρια* dicta, Germ. *Dank-Opffer* / fiebant post accepta beneficia, (quæ pacis nomine apud Ebræos veniunt) ad gratitudinem Deo debitam testificandam. Lev. III. Ethnicis Scriptoribus *Εὐχαιμὰ & χαριστήρια* fuere adpellata; sicut ipsæ victimæ dictæ illis sunt *χαριστήρια*. Hinc Dionys. Halic. (b) *Θυσίας ἀποδίδουαι θεοῖς χαριστήρις, ἢ τὰς πρὸς τὸν δῆμον ἀλλογαῖς, victimas Diis offerre, iisq; gratias agere pro reconciliatione plebis. Lib. VI. Idem Lib. IIX. (c) Θυσίας τε χαριστήρις τοῖς θεοῖς ἐποιῶντο, καὶ ἦσαν ἅπαντες ἐν εὐχαῖς καὶ εὐπαθείαις, decretis ad agendas*

G Diis

Diis gratias victimis, vacarunt epulū atq; hilari-
 tatibus. Apud eundem (d) Cumani Victores,
 λυθέντες ὁ πολέμος, τὰς χειρηρίας θυ-
 σίας ἀποδόντες τοῖς θεοῖς, finito bello ad
 agendas Diis gratias Sacrificia persolvunt; quæ
 inde aliàs Ἰπνίγια dicuntur: qualia ha-
 bentur in Sacris, Jos. II X, 31. I. Macc. IV, 56.
 Eadem & ἐμβατήρια seculares vocant
 Scriptores: quamvis eo nomine appellaren-
 tur omnia sacra, quæ faciebant, qui grave
 aliquod periculum effugissent; itaque
 θύειν τὰ ἐμβατήρια τῆς νόσου legitur in
 Sophistis Philostrati. Nec diu ea differri, sed
 simul ac læta Imperatoribus nuncia allata
 essent, fieri solebant, & amicis partes victi-
 marum mitti: (sicut & Ebræi ad sacrificia pa-
 cifica amicos invitavunt) atq; id nominabāt
 θύειν τὰ εὐαγγέλια. Plutarchus in Agesi-
 lao: ἔθυσεν εὐαγγέλια, καὶ διέπεμπε μερί-
 δας τοῖς φίλοις ἀπὸ τῶν τεθυμένων. Aristo-
 phanes Equitibus:

εὐαγγέλια θύειν ἑκατὸν βῆς τῇ θεῶ.

Julius Pollux Lib. V. cap. XXV, ἡ μὲν τοῖ
 Ἰπνί τῶ σωήδεος θυσία, εὐαγγέλια. Notan-
 ter ad hunc morem alludit Apostolus, ἱερουργεῖν

γεῖν

γειν τὸ εὐαγγέλιον dicens, Roman. XV, 16.
 Quod præclarè observans Magnus ille atq;
 accurata vocum indagine singulariter pro-
 vectus Theologus, Martinus Chemnitius,
Evangelium, dicit, in communi Lingva Græca
 notare interdum *Sacrificium* & *supplicationes*,
 quæ decernebantur pro nuntio rei benè & feli-
 citer gestæ, ut apud Plutarch. in Phoc.
 εορτάζειν καὶ θύειν εὐαγγέλια. Postmodo
 subjungit: Paulus etiam, cum inquit Rom. XV,
sacrificare Evangelium, sine dubio respexit ad usi-
 tatam apud Græcos significationem, qui sui Sacri-
 ficiis & supplicationibus vel gratias agebant pro
 acceptis beneficiis, vel querebant, ut placatum
 Deum haberent. Dicit igitur: Ego inter gentes
 prædico verum Evangelium, & instituo verum
Sacrificium pro accepto læto nuntio. Part. II. Loc.
 Comm. edit. nov. f. 219.

Ita se habent Sacrificia pacifica sive salu-
 tis, pro salute impetrata. Erant autem alia,
 quæ ipsa quoque inter pacifica referuntur:
 quæ nuncupabantur Deo pro salute impe-
 tranda, Sacrificia scilicet votiva. Quippe
 qui nondum consecutus erat salutem, votū
 faciebat, si consequeretur, se hoc aut illud
 Deo sacrificaturum; idque cum præstaret,
 777, εὐχή, *votum* sive *Sacrificium voti*

dicebatur; sicut alterum illud, נִרְבָּרָה,
Spontaneum, Græcè κατὰ αἰρεσιν, Levit.
 XXII, 21. seqq. Talia vota præcipuè faciebāt,
 qui descendebant in mare, aut per solitudi-
 nes iter faciebant, aut vincti in carcere, aut
 morbo oppressi in lecto detinebantur, aut in
 quascunque redacti essent angustias, ut
 opem & salutem divinitus elicerent. Exem-
 plum est Jon. I, 16. *Timuerunt viri timore magno,*
& sacrificarunt sacrificium Domino, & voverunt
vota. Ubi copula ἐξηγητικῶς accipien-
 da, ut dicat, voverunt se sacrificaturos. Nam
 in navi qui poterant sacrificare? Eodem pla-
 nè modo Cicero: *Nauta quidam cum adversa*
tempestate in alto jactarentur, voverunt, si eo por-
tu, quem conspiciebant, potiti essent, ei Deo, qui ibi
esset, se vitulum immolaturos. Lib. II. de Invent.
 Sic apud Homerum (e) mater Telemachi:


Εὐχετο πᾶσι θεοῖσι τεληέσας ἑκατόμβας
 Γέξην, αἷκὲ πῶθι Ζῶς ἀντιτὰ ἔργα τελέσῃ.
Vovit omnibus Diis perfectas hecatombas
Sacrificare, si perfecerit Jupiter, ut vices re-
pendantur.

In primis Duces olim, qui aliqua religione
 tenerentur, copias educturi, pro exercitus
 salute vota nuncupabant, Deosque invoca-
 bant.

bant. Qua de re videri potest Meursius, *Exerc. Crit. part. II. cap. XII.*

Atque hæ sunt tres Sacrificiorum species, propriè sic dictæ: quas Gentilibus quoque in usu fuisse, ex dictis patet. Singulæ verò istæ peculiaribus ritibus, à Deo institutis, offerri consuevere; aliis quidem holocausta, aliis expiatoria, aliis pacifica, ut ex Levitico passim discimus. Quod discrimen minùs quidem observarunt Gentiles, qui ex omnibus illis suum quoddam sacrificandi genus effinxere; sed generales tamen ritus, qui in omnibus aut plerisque Judæorum Sacrificiis fuisse adhibiti, ut plurimum retinere: qui soli etiam satis superq; *κακοζηλίαν* eorum testatum facere possunt, invicem collati, indicioque esse clarissimo, eos morem sacrificandi ab ipsis Judæis, à quorum Patribus & orti sunt, traditum accepisse; uti mox, ad formam Sacrificiorum provec̃ti, plenius dicemus.

(a) in *Notis, ad Alex. Lib. III. Gen. dier. c. XII. p. 351.* (b) p. 415, 27. (c) p. 492, 42. (d) *Lib. VII. p. 420, 12.* (e) *Οδυσσεύ. V. 59.*



CAP. IV.

Ad ipsam Sacrificiorum formam ritusq; acceditur.

Præoccupatio: Sacrificia Gentilium non esse genuina, & verè ita dicta. Qui quorum populorum Sacrificia descripserint? Hostiarum adductio ad templa. Earundem apud Gentiles coronatio & cicuratio.

Sed nunc in memoriam redit, quod Sacrificia definiverimus, fieri in Dei cultum & obsequium, *juxta Dei ipsius voluntatem & præscriptum.* Quibus postremis verbis sanè Sacrificia idololatrarum & Gentilium ab his, quæ verè talia sunt, segregantur. Etsi enim sint immolationes animalium, Religionis cujusdam ergò factæ, atque adeò spectata actionis forma, & agentium intentione, quamvis perperam suscepta, quædam sint Sacrificia: quia tamen neque ex Dei mandato, neque modo, neque fine, quo oportebat, peraguntur, & multa in iis, vel contra vel præter institutum Dei, superstitiosè suscipiuntur; tantum abest, ut pia & legitima Sacrificia haberi possint, indeq; cultus Deo aliquis deferatur, ut manifestè in contrarium Apostolus *Gentes Dæmoniis immolare* pronunciet, I. Cor. X, 20. quatenus nimirum Diis suis im-

molant, quorum percipiunt oracula, à quibus etiam juvantur interdum, & beneficiis afficiuntur, quos revera Dæmones esse, inter Christianos constat; probatque multis Hieron. in *Habac. II.* Monendum itaque, antequam ulterius progrediamur, neque nos aliter de iis hic agere instituisse, quam prout ex Sacrificiis Judæorum piis & legitimis, ac verè ita dictis, per improbā κακοζηλίαν sint expressa atque conflata. Hæc verò κακοζηλία in ipsa Sacrificiorum forma & modo posita est. De hac ergò forma modoque deinceps nobis dicendum.

Qua in re habemus ὀδηγὸν gravissimum Theologum, J. Brentium, qui totum sacrificandi actum, quem Rex Agamemnon per Chrysen Sacerdotem, Apollini, pro Danaïis placandis, instituendum curavit, ab Homero *Iliad. α. v. 447. seqq.* descriptum, cum Sacrificiis Judæorum, perquam eleganter contulit, *præf. in Lev.* ita quidem, ut existisse videas in sacrificiis Gentilium certissima Judæicæ Relligionis vestigia. Cujus ductum nos secuti, ita in hoc argumento versabimur, ut non unius quidem Sacrificii Gentilium cum Judæorum Sacrificiis convenientiam explicemus; sed generalem ritum Ju-
 G 4 dai-

daicorum seriem, & ad horum similitudinem pariter fictas atque efformatas Gentilium ceremonias, à quibuscunque populis, quocunque etiam vel tempore, vel ordine, vel loco receptas, in lucem publicam producamus. Ad quam rem conficiendam, & privatim ad Judæorum ritus pernoscendos, utendum nobis (sine tamen discessu è nostris limitibus) septem prioribus Levitici capitibus, in quibus doctrina Sacrificiorum bis exponitur: semel; primo, secundo, tertio, quarto, quinto & dimidio sexto capitibus, usque ad comm. 8; atque iterum, à capitis VI. com. 8. ad finem usque septimi: idq; ita, ut in posteriore expositione aliqua exprimantur, quæ in priore fuerant omissa, quod accuratè notavit D. Wolfgangus Franzius, tr. planè aureo, *de Interpr. Script. init. præc. II. p. mihi 51.* Quædam tamen huc facientia etiam aliunde ex ipsa Genesi & Exodo haurienda: item ex aliis Pentateuchi locis: ex libris denique Regum & Paralipomenon, eodem doctore discimus. Gentilium ritus, ac in specie Romanorum, descriptos nobis reliquit Dionys. Halic. *Lib. VII. Antiq. Rom. sub finem.* Rosinus *Lib. III. Ant. Rom. cap. XXXIII.* Græcorum, Homerus, *l. d. itemq; Iliad. β. γ. 420. Odyss. γ. ν. 439.*
Apol-

Apollonius *Lib. XI. Utrorumq;* Alexander Neapolitanus, *L. IV. Gen. dier. c. XVII.* Gyraldus *Hist. Deorum, Syntag. XVII.* Joh. Guilielmus Stuckius, *descript. sacrif. gentil. p. 75. seqq.* Augustinus de Quiros Illiturgitanus *Comm. in Malach. cap. II. n. 50.* Jacobus Boulducus passim *in libris tribus, de Ecclesia à mundi exordio usq; ad Mosen.* Majorum denique nostrorum, vir stupendæ lectionis & curæ, Philippus Cluverius, *Antiq. Germ. Lib. I. cap. XXXV.* Quorum nos legemus vestigia.

Hic verò ipsa primùm *παρασκευὴ θυσιακή*, ut Eustathii verbis utamur, h. e. *preparatio sacrificialis* se nobis offert: quæ tum hostias spectabat, tum personas. Neque enim irruere in Sacrificia vel Judæi solebant, vel Gentiles; sed utrique, non sine animi corporisq; ipsiusque etiam hostiæ præparatione ad cultum hunc Divinum processere. Ac hostias quidem, ut apud Ebræos, sic apud Gentiles selectissimas esse oportebat: quæ proinde non temerè, sed magna ratione atque judicio ex toto pecorum grege secernebantur: quod Apollonius *L. XI, Argonautarum Sacrificium* describens, emphatico verbo dicit *εὐκρίτους*; & à nobis superiùs latiùs est diductum. Selectæ autem ad templa atque

aras, ubi mactandæ & immolandæ erant, adducebantur: ubi demum ipsi quoque Sacerdotes, puræ nê essent & integræ, an vitiosæ, eas explorabant. Adductionem illam Judæis his verbis divinitus legitimus præceptâ: *Loquere filiis Israel: Quicumq; ex vobis victimam Domino oblaturus est de pecoribus, pecus suâ sistat* לְפָנֵי אֲהֹרֵן *ad ostium Tabernaculi.* Lev. I, 3. ad eum nempe locum, qui, Sacerdotibus & Levitis communis, altare holocaustorum continet, quem atrium Sacerdotum aliàs dicimus; quo loco excipiebant hostiâ Sacerdotes, & ad altare ductam immolabât. Quò pertinet Psalm. CXIIX. v. 27: *Ligate Sacrificium Festi densis ac contortis funibus, usq; ad cornua altaris, i. e. confertim, per totum templi atrium, mactanda animalia sistite, eaque, ne fugiât, adligate.* Rabbi David Kimchi ita: הביאו הכבש קשור בעבותים עד שיביאוהו לקרנות המזבח i. e. *adducite agnum densis funibus, donec obtulerint illum ad cornua altaris.*

Idem præceptum severiùs repetitur alibi, cum excidii è populo comminatione, Lev. XVII, 8, 9; ad congressus scilicet publicos fortiùs inculcandos, Deut. XII, 13, 14: utque memoria Divini nominis certo loco conse-

cra-

eraretur, Exod. XX, 24. Qui locus, destructo
 Tabernaculo, erat Templum Hierosolymita-
 num, II. Par. VII, 12. Nec vana fortassis opi-
 nio, ad Ethnicos legem illam de certo obla-
 tionis loco, deque publico sacrificantium
 cœtu perlatam esse. Ita enim Plato, x. LL.
 Ἐστὶ νόμος τοῖς ζύμπασιν κείμενος ἀπλῶς.
 ἱερὰ μὴδὲ εἰς ἐν οἰκείαις ἰδίαις ἐκτὴθω· θύειν
 δ' ὅταν ἴπῃ νῦν τινὶ, πρὸς τὰ δημόσια ἴτω
 θύσων, καὶ τοῖς ἱερεῦσι ἐγχειζέτω τὰ
 θύματα, οἷς ἀγνεία τέτων Ἰπμελής.
*Hec lex simpliciter omnibus posita sit: nemo in
 privatis ædibus sacra faciat: qui verò voluerit Sa-
 crificium offerre, in publicum templum eat sacri-
 ficaturus, & Sacerdotibus tradat victimam, qui-
 bus cura sacrorum commissa est. Sic ergò Ethni-
 ci quoq; in templum victimas suas adduxe-
 re. Ubi tamen plurima, more suo, immiscue-
 re peregrina, & superstitionem redolentia,
 dum non nisi à certis personis, & cum pom-
 pa quadam, ad aram victimas duci voluere.
 Cicero de Divinat. Dum censor populum lu-
 straret, bonis ominibus, qui hostias ducerent, elige-
 bantur. Plinius Lib. XIX. cap. II. Publicis lu-
 stris etiam nomina victimas ducentium prospera
 eligimus. Ex quo ipso statim apparet, figuram*

ritibus Judaicis & Gentilitiis unam esse; sed quaedam hisce lineamenta deflexa; quod de hominibus pulchrè dixit Minutius Felix, *Octavio*. Ornarunt insuper hostias, si majores essent, coronis aureis; si minores, Deorum, quibus sacrificabant, propriis frondibus. Homerus *Odyss.* γ. v. 425.

Unus iterum aurificem Laertem huc jubeat

Venire, ut bovis aurum cornibus circumfundat.

Virgilius:

Et statuam ante aras aurata fronte juvencum.


Manifestus cum primis locus est *Act.* XIV. 13. ubi Sacerdos Jovis dicitur attulisse ταύρους καὶ σέμματα, *tauros & coronas*, h. e. tauros σεμματοζωμένους coronatos; per figuram, quæ dicitur Hendiadys. In quem locum apprime elegans est disquisitio præcellentissimi Viri, *Johannis Sauberti*, *Ecclesiæ Noricæ Antistitis primarii*, quem Promotorem, tanquam alterum Parentem, sanctè venero, *Prodr. Philol. sacr. p. 33. seqq.* Aliàs coronas illas vittas dixere. Virgilius:

Victori velatum auro vittisq; juvencum.

Solebant etiam victimas ad aram adducendas prius cicurare & mansuefacere; ne ducentium è manibus se proriperent, aut aliud quid sinistri & inauspicati accideret, quo ir-
rita

rita possent fieri Sacrificia. Plinius Lib. IIX. c. XLV. Hoc quoque notatum, vitulos, ad aras humerum hominum allatos, non ferè litare, sicut nec claudicantem: nec aliena hostia Deos placari, nec trahere se ab aris. Unde factum, quòd plus tribuerent victimæ ovillæ, quàm aliis ferocioribus & animo abundantibus. Paulus apud Festum: *Maximam hostiam ovilli pecoris adpellabant, non ab amplitudine corporis, sed ab animo placidiore.* Fuitque opinio (quæ verba sunt Alexandri) potius ex hœdis & agnis, quia mites sunt, quàm ex gallinaceis, suis & tauris, quoniam animo abundant, Deos consuli & futura prænosci. Lib. III. cap. XII. Hæc quomodo cum more Judæorum conveniant, quibus jure (a) Sacrificium agninum, singulis diebus bis præstandum, Deus mandavit, hac victima placidiore imprimis delectatus; idque ad Sacrificium filii sui, Agni immaculati & mansuetissimi, (b) sæpius ita repræsentandum, tute videris.

(a) Exod. XXIX, 38. Num. XXIX, 4. (b) Esai. LIII, 7.



CAP.

CAP. V.

*Sacerdotum à vino, & uxore, abſtinentia, ſub tem-
pus miniſterii. Eorundem excalceatio & ablu-
tio, in Atrio. Lacedæmonios, Ebræorum ritus
habuiſſe cognitos, ex Joſepho probatur.*

Personarum præparatio in pluribus con-
ſiſtebat: ac, ſummatim dicendo, vel per-
ſonas ſacras attinebat, vel eos, qui hoſtias ad
Sacrificia præbebant, vel utroſque. Illi, nem-
pe Sacerdotes, præpararunt ſe variis modis.
Primò, abſtinendo à vino. Erat enim eſus uſus
graviter illis interdictus Lev. X, 9. *Vinum
& omnem potum inebriantem* (alii ſiceram ver-
tunt ex Ebræo כַּיִן) *non bibes tu & filii
tui, intraturi Tabernaculum teſtimonii, ne moria-
mini: ſtatutum id perpetuum eſto in generatio-
nes veſtras.* Cui parallelus eſt locus Ezech.
XLIV, 21. *Vinum non bibent ulli Sacerdotes, in-
greſſuri Atrium interius.* quod Atrium Sacer-
dotum aliàs dicitur, הַיְכָל τῶν Tem-
plo vel Sanctuario proximum, continens al-
tare holocauſtorum, & mare æneum: ſicut
alterum illud Laicorum Atrium dicebatur
exterius, in quo populus, orationis & Sacri-
ficiorum cauſa, conveniebat. De illo, II. Par.
IV, 9; de hoc, ipſo citato cap. Ezech. v. 19. ſer-
mo

mo est. De utroque accuratè agit Corne-
 lius à Lap. *in Exod. XXVII. 9*; & ex eo Beca-
 nus, *Analog. Vet. & N. T. c. XII.* Causam hujus
 edicti habes Lev X, 10. Et non nihil attigit
 Josephus, *Ad altare*, inquit, *templumq̄ Sa-*
cerdotes accedebant mero abstinentes ac sobrii,
Relligionis metu; ne quid rem Divinam faciendo
peccarent. VI. Belli 6. Nec parum momenti
 lex eadem habuit inter Gentiles. Nam qui
 Isidis sacris initiandi erant, per decem dies
 carnibus & vino abstinebant, teste Apulejo
 Lib. XI. Et Ampharatus, summus vates, iussit
 Sacerdotes, qui responsa clarè accipere, &
 sincerè reddere vellent, integrum diem à ci-
 bo, triduum à vino abstinere, inquit Volater-
 ranus *Lib. XIII. cap. IV.* Similiter apud Trœze-
 nos, qui ad Ardali aram rem Divinam facie-
 bant, & Deorum responsa expetebant, *inte-*
grum diem cibo, à vino autem triduum abstinere
conveniebat, ut est apud Alex. Lib. VI. cap. II. ex-
stat & apud Pausaniam Lib. II. de Corinthiacis;
 & apud Stephanum, *Lib. de Urbibus.* Quin Jo-
 vis Sacerdotem ne per viam quidem transire
 Romani voluere, penes quam vitium propa-
 gines in sublimi erant collocatæ. Eundem
 & hederam attingere Relligio fuit, quòd he-
 deram spiritum habere existimarent, quo
 ho-

hominum mentes in furorem agantur, ut Plutarchus tradit. Sed quid dico, attingere? ne nominare quidem ipsi fas erat, teste Agellio: *Capram, & carnem incoctam, & hederam, & fabam neq; tangere Diali mos est, neq; nominare.* Lib. X. c. XV. Tantum abest, ut ebrietatem in Sacerdotio admiserint!

Porro ad hanc abstinenciam à vino accessit sub tempus ministerii abstinencia ab uxore: quæ Judæis quidem lege divinitus lata non erat imposita; per accidens tamen contingebat, temporibus Davidis (quibus plerique omnes Sacerdotes, urbium Leviticarum incolæ, extra Hierosolymas degebant) & deinceps; quod, quorum ex ordine vices ministrandi advenissent, relicta domo sua, Hierosolymas se conferre, & ab uxoribus separatos, octiduum in templo commorari oportuerit. Cujus separationis pravo intellectu Gentiles, quo tempore sacra facturi essent, abstinenciam Sacerdotum à Veneris usu, ceu necessariam exigebant. Fidem assertioni facit vel unus Juvenalis locus, qui Isis Sacerdotem introducit. *Sat. VI.*

*Ille petit veniam, quoties non abstinet uxor
Concubitu sacris observandisq; diebus:
Magnaq; debetur violato pœna cadurco.*

Et illa Nasonis, ut sic dicam, excommuni-
catio:

*Vos quoque abesse procul jubeo, discēdite ab aris,
Quæ tulit hesternæ gaudia nocte Venus.*

Hinc Numa Pompilius, cum pro frugibus
sacrificaret, esu carniū & Venere abstinē-
bat. Æneas quoque Deos precaturus à con-
cubitu se cohibuit, quò ad sacra celebranda
mundior accederet. Ne nunc dicam de Ce-
reris Sacerdotibus, quæ *viventibus etiam viris*
& *consentientibus, amica separatione viduantur:*
aut de aliis, sive maribus, quos semel - mari-
tos; sive fœminis, quas *univiras* esse Tertul-
lianus, acerrimus bigamorum insectator,
tradit, Lib. de Monog. passim. Exhort. ad Castit.
cap. ult. & Lib. I. ad uxor. c. VI. Quid? quod in
Ægypto planè Abii & Anymphi fuere, à cœ-
libatu ita dicti. Quid? quod alii in Phrygia,
Cybeles Sacerdotes, sive Matris Deum, eò
vesaniæ processere, ut, ad placitum detestan-
di Numinis, samia testa sua ipsi virilia sibi
amputare, tantoque precio castitatem, heu
miseri! emere, non dubitarint. De qua insa-
nia Lactantius: (a) *Sunt sacra matris Deum, in*
quibus homines suis ipsi virilibus litant: amputato
enim sexu, nec viros se nec fœminas faciunt. Et si-
militer Augustinus: (b) *Hic (in sacris Cybe-*
H les,

les, initiando Sacerdoti) *ita amputatur virilitas, ut nec convertatur in feminam, nec vir relinquatur.* Quamò rectius, & ferè dixerim, ad mentem supremi Legislatoris, Sapientissimus Romanorum Tullius! *Caste jubeat lex adire ad Deos, ANIMO videlicet, in quo sunt omnia: nec tollit castimoniam corporis: sed hoc oportet intelligi, cum multum animus corpori praestet, observeturq, ut casto corpore adeatur; multò esse in animis id servandum magis: nam incestum vel adspersione aquae, vel dierum numero tollitur animi labes nec diuturnitate evanescere, nec manibus ullis elui potest.* Lib. II. de LL.

Sed jam Sacerdotes sequamur, in ipsum templum introeuntes, & sacris perficiendis sese accingentes. Ubi primo statim intuitu *Excalceatio* visenda, quæ in Atrio fiebat, ad lotionem pedum perficiendam, juxta mandatum Jehovæ, Exod. XXX, 19. XL, 32. Et si enim solius lotionis mentio ibidem fiat, cum tamen ea, nisi calceamentis prius exutis, peragi non potuerit; rectè de hoc ritu calceos deponendi ante tractamus, quàm ad lotionem ipsam faciamus accessum. Vero autem admodum est simile, uti, ante lavandum, *immundissimam pedum tutelam* (c) removere Sacerdotes decuit; ita nec post eos calceae

ceamenta denuò pedib. induisse, sed discalceatos sacrificasse, aliaq; sacramunia perfecisse. Quæ conjectura inde robur accipit, quod & Moses in loco sancto consistens, itemque Josua, pedes excalceare, ad majorem Numinis præsentis venerationem, jussi sunt, Exod. III, 5. Jos. V, 15; & apud omnes ferè populos eadem locis sacris reverentia semper habita fuit, ut calceati templa intrare, vel quæcunque loca sacra attingere, fuerint veriti. Testes producimus: *Pythagoram*, cujus hoc inter alia circumfertur symbolum: *Nudis pedibus rem Divinam facito & adorate*. At pleraq; Pythagoræ dogmata ex Judaismo hausta esse, quis nescit? *Christianos Æthiopes*, quorum Legatus apud Göensem Damianum de patriis moribus loquens: *Nobis inquit, nõ datur potestas tēplū adeundi; nisi nudis pedibus, neq; nobis licet in ipso videre, loqui ambulare* (discamõ hinc & nos, in templis HOC AGERE) *quia templa similia sunt monti Sinai, ubi Dominus Mosi dixit: Solve calceamentum &c.* Et modernos *Turcas* ac *Saracenos*, qui ut in plerisque judæizant, ita *Moschæas* suas nunquam ingrediuntur, nisi detractis calceis: quæque Christus præsentia sua consecravit loca, pedibus calcari non permittunt, nisi excalceatis.

Fallor? an de hoc excalceandi ritu, etiam Juvenalis (d) aliquid inaudivit? de Judæa canens :

*Observant ubi festa mero pede Sabbata Reges. Quid enim aliud est, mero pede, quam nudo incedere? Et, si ex antiquitate Christiana Theodoretum audimus, ipso exemplo Mo- sis, excalceari jussi, docetur, qua ratione oporteat Sacerdotes in Tabernaculo deservire: nudis enim pedibus isti Sacrificia Divina peragebant. in Exod. III. qu. VII. Ab his ergo facile fuit, ut mos idem ad Ethnicos permaneret, non ad Pythagoræos solum, sed & Lacedæmonios; quos & ipsos, regnante Romæ Tullo Hostilio, sacra nudipedalia instituisse, Eusebius refert in Chronicis. Quod nihil mirum. Nam, Josepho teste, Lacedæmonii Ebræos socios habuere, & ab ipsis, ut alia multa, & hoc suscipere potuerunt. Sunt verba Lillii Gregorii Gyraldi, in Symb. Pythag. f. 490. Et revera ita est apud Josephum Lib. XII. Antiq. Jud. cap. V. Cujus prima statim verba planè huc faciunt: Rex Lacedæmoniorum Arius, Onie (Judæorum Pontifici) salutem. Incidimus in quandam Scripturam antiquam, in qua invenimus, cognationem intercessisse inter nostras origines, & nostrum quoque genus non esse alienum à posteris Abrahæ. Equum
igi;*

igitur est, ut, cum fratres nostri sitis, petatis a nobis, quaecumque libuerit. Idem nos quoque faciemus, & res vestras, tanquam nostras, existimabimus, nostras item vobiscum communes habituri. Vis Majores nostros? ecce, eorum Sacerdotes foeminas γυμνόποδας nobis tradit Strabo, Lib. VII. Confer de hoc ritu Gvidonis Pancirolli *Rerum Memor. Tom. II.* ab Henrico Salmuth editum, Tit. X. pag. 440.

Excalceationem nunc justo ordine ablutio excipiat, quæ apud Judæos fiebat, ut diximus, in Atrio Tabernaculi, in quo continebatur usui huic peculiariter destinatum *Labrum aeneum*, seu vas quoddam ex ære factum, ab extremitatibus ad modum labiorum prominentibus nomen sortitum, Ex. XXX, 18. XXXIIX, 8. postea in Templo Salomonis, ob majorem capacitatem, *Mare aeneum* dictum, I. Reg. VII, 23. I. Par. XII, 8. è quo lavabant Sacerdotes, priusquam ad Sacrificia accederent. Hoc eodem ritu nil frequentius inter Gentiles fuit, qui, si qua alia sacra, certè Sacrificia sine prævia lotionem aggredi nefas duxere. Plautus in *Aulul. Act. III. Scen. 6.* Ego, nisi quid me vis, eo lavatum, ut sacrificem. Idem *Act. IV. Sc. 2. v. 5.* Nunc lavabo, ut rem Divinam faciam. Ovid. IV. Fast.

H 3

Hia

*Hic Dea placanda est: hæc tu conversus ad aras
Dic quater, & vivo perlue rore manus.*

Dionysius Halic. Lib. VII. p. 478. χερνίψάμενοι ἢ αὐτοὶ καὶ τὰ ἱερὰ καθάρῳ περιαινίσαντες ὕδατι. *Lotis manibus ipsi, & sacris (victimis) aqua pura expiatis, ministros eas matrare jubent Sacerdotes. Hom. Iliad. a. v. 449 χερνίψαντο δ' ἐπέτα. Abluerunt deinde manus, ad Sacrificium scil. peragendum. Inde Hesiodi præceptum:*

Μηδὲ ποτ' ἐξ ἧδὲ Διὶ λείβειν αἴθορα αἶνον
χερσὶν ἀνίπτοιςιν, μηδ' ἄλλοις ἐθανάτοιςιν.

*Neq; unquam mane Jovi libes ardens vinum
Manibus illotis, neq; aliis immortalibus.*

Et adagia: Illotis manibus, vel, pedibus aliquid agere; cum quid minus decorè & infra dignitatem tractatur. Quorum usum nec Gregorius Nazianzenus fastidivit, Apol. de fuga sua in Pontum: ἀνίπτοις χερσὶν, ὅ, δὲ λέγεται, καὶ ἀμυήτοις ποσὶ τοῖς ἀγιστάτοις ἑαυτὸς ἐπέσάγῃσιν. Illotis manibus, ut equidem dicitur, & profanis pedibus, sacratissimis rebus seipsos ingerunt.

Fiebant lotiones istæ modò ex flumine vivo, ut est apud Virgilium; modò aqua ma-

rina. Huc alludit Catullus ad Gellium:

Suscipit, ô Gelli, quantum non ultima Tetbys,

Nec genitor Nympharum abluit Oceanus.

Et Lactantius Lib. V. c. XX. Flagitiis omnibus inquinati veniunt ad precandum, & se piè sacrificasse opinantur, si cutem laverint; tanquam libidines intra pectus inclusas ulli amnes abluant, aut ulla maria purificent. Manifestior his Apulei locus Lib. XI. (e) *Confestim discussa pigra quiete, alacer exsurgo, meq; protinus, purificandi studio, marino lavacro trado, septies submerso fluctibus capite; quòd eum numerum præcipuè Relligionibus aptissimum Divinus ille Pythagoras prodidit.* Ubi doctè Beroaldus: *Dixit, Marino lavacro; quoniam marina aqua purificat, propter igneam portionem. Unde & Sacerdotes, ut docet Proclus Platonicus, marina aqua in purificationibus utebantur. Septies submerso capite. Cum septenarius numerus sit in rebus omnibus, & potissimum in Relligionibus potentissimus, scitissimè dixit, se septies caput fluctibus immeruisse. Consimiliter I. Reg. IV. Heliseus Propheta inquit leproso: Vade, & lavare septies in Jordane, & recipiet sanitatem caro tua, & mundaberis. Item paulò post: Lavit, inquit, septies in Jordane, iuxta sermonem Propheta, & mundatus est. Hæc & alia plura eo loci Beroaldus. Commodissimè autem*


sacræ illæ lotiones fiebant ex *χερονίπρω* vel *χερνιβίω*, h. e. *aquiminali*, ad fores ædium sacrarū posito, quod *Labrum* nominat Asconius, voce Scripturis usitata. Dixeris etiam malluvium; cujusmodi ante Cereris Eleusiniæ templum positum erat, quod supra ex *Lysia* *ιεράν χερνιβά* appellavimus, è quo Mystæ sive Sacerdotes manus abluebant sacrificaturi. Prodedit hoc & Libani9 declam. XIX. *ἀπὸ τῆς ἐλευσίνου, ἧ καὶ θαρῶϊς ἤκειν τὰς χεῖρας τοῖς μύσαις προαγορεύουσιν.*

Interdum tamen non tam ablutione, quam adspersione utebantur; Macrobiani testimonio. *Constat Diis superis sacra facturum corporis ablutione purgari: Cum verò inferis litandum est, satis actum videtur, si adspersio sola contingit.* Lib. III. Satur. c. i. Sic Dido apud Virg. IV. *Æneid.* Diis inferis sacra instituens, *Dic, ait, corpus properet fluviali spargere lympa.* Hinc & Athenæus *χερνιβά* describens: *ἦν ὕδωρ, εἰς ὃ ἀπέβαλλον δαλὸν ἐκ τῆς βωμῆ λαμβάνοντες, ἐφ' ἧς τὴν θυσίαν ἐπετέλεον, καὶ τότε περιρραίνοντες τὰς παρόντας ἱγνίζον.* Erat, inquit, aqua, in quam mergebantur, ab ara sumtum, in qua sacrificia peragebant, qua aqua circumstantes conspergebant atq; lustrabāt.

Ele-

Eleganter de his adspersionibus & piè Auctor libro de morbo sacro, qui Hippocrati vulgò adscribitur: *Deus est, qui maxima & sceleratissima peccata purgat, & liberatio nostra existit: nosq; terminos templorum Diis designamus, ut nullus, qui non purus sit, transcendat; & ingressi adspargimus, non velut, qui inquinemur, sed, si quod etiam prius scelus habemus, purificemur.* Turci hodieque talibus utuntur aquis lustralibus; &, inter Christianos, Pontificii, qui, nisi aqua, ut vocant, benedicta ad templi fores adspersos, sacris suis interesse ægrè patiuntur.

(a) Lib. I. Divin. Inst. c. XXI. (b) De Civit. Dei Lib. VII. cap. XXIV. (c) Tertull. Lib. de Pallio. (d) Sat. VI. (e) ipso initio.



CAP. VI.

Digressio, de lotionibus multifariis Judeorum & Gentilium, post cædem, attactum cadaveris, somnia immunda, & aliàs, cum privatim, ante cœnam; tum publicè, in ipso foro, peractis. Ubi etiam obiter, de expiatione per ignem. Vestitus summi Pontificis strictim expositus. Reliquorum Sacerdotum sacrificantium vestes singule recensitæ: quæ materiam lineæ; quæ formam candidæ.

H §

Pos-

Possent hæc, sperarim, quæ de ablutioni-
 bus hæctenus dicta sunt, facilè cuivis sa-
 tisfacere, & prævii hujus Sacrificiorum ritus
 inter Judæos & Gentiles convenientiam
 sufficienter evincere. Quid verò obstat, quò-
 minus plura adhuc de lotionum ceremoniis
 è Judaica & Gentilitia antiquitate eruamus,
 scitu nec injucunda, nec ab argumèto, quod
 tractamus, aliena? Dicit enim non potest,
 quanta in universo hoc ritu utriusque popu-
 li, fidelium & infidelium, consensio sit, & ami-
 ca velut intimaque conspiratio intercedat.
 Judæi sanè, quoties immunditiem Leviti-
 cam, aut, si ita loqui licet, ritualement, unde cum-
 que contraxerant, quæ mundorum cœtu, ad-
 eoque sacris, eos arcere poterat, ad lotiones
 redibant. Veluti: I. Si quis cædem in bello
 commisisset; ubi totalis non corporis solùm,
 sed vestium quoque ablutio, ante tractatio-
 nem sacrorum, præcepta erat, Num. XXXI,
 20, 24. Ethnicis quoque observata, qui post
 quamcunque cædem, sive in bello, sive aliàs
 admissam, laverunt. Testis est Tertull. c. V. de
 Baptismo: *Penes veteres, quisquis se homicidio
 infecerat, purgatrice aqua se lavabat.* Et Ale-
 xander Lib. IV. c. XVII. *Si quis nece aliqua pol-
 lutus fuisset, bis septem vicibus inundationibusque*

vestes abluerat aqua, bis piamentis ab immunditia emaculari arbitratus. Sed loquantur nobis ipsi Ethnici. Virg. II. Æn.

*Tu genitor cape sacra manu, patriosq; Penates.
Me bello è tanto digressum & cæde recenti
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero.*

Apud Senecam Herc. fur. act. IV. Scen. Lita.
Amphitruo Herculi:

-- Nate, manantes prius

Manus cruenta cæde & hostili ex pia.

Eodem alluditur ejusdem Tragœdiæ Scenæ
ultima:

*Quis Tanais, aut quis Nilus, aut quis Persica
Violentus unda Tigri, aut Rhenus ferax,
Tagusvè Ibera turbidus gaza fluens,
Abluere dextram poterit?*

Ovidius autem hæc ridet:

*Ab nimium faciles, qui tristia crimina cædis
Fluminea tolli posse putatis aqua!*

II. Si quis attactu cadaveris se impuras-
set; æquè, ut in priore casu, vestium ablutio
mandata legitur, Lev. XI, 24, 25. Num. XIX,
18, 19. Quò Ecclesiasticus respicit,
Γαπίσμὸς τοῦ νεκροῦ appellans, cap.
XXXIV, 30. Quod rursus imitati Gentiles,
vas aquæ lustralis, domus funestæ indicium,
ad

ad fores ædium, dum bustum in iis esset, statui voluere, ex quo aquã sese, quisq; exiens, non ablueret quidem, sed tamen aspergeret, qui exsequias venisset; ut hac ratione se expiaret. Auctor est Pollux *Lib. II. X.* ex quo sumfit Isaacus Casaubonus *Cõm. ad Theophr. Charact. p. 279.* De Romanis non dissimilia refert Festus: *Funus prosequuti, redeunte signem supergrediebantur aqua adpersi: quod purgationis genus vocabant suffitionem.* De Græcis, præter Pollucis, alia adhuc duo audiamus testimonia, ex Kirchmãni *de Funer. Rom. Lib. III. c. IX.* unum Suidæ *in verbo καταλάει. Εθ' ὅ γ' ἦν, μὲν τὸ ἐκκομιθεῖν τὸ σῶμα, καθάρσει χάριν, ἀπλάσει τὰς οἰκείας τεθνεῶτα.* Alterum Scholiastæ Aristophanis, verbis penè iisdem: *Εθ' ὅ γ' ἦν, μὲν τὴν ἐκκομιθεῖν τὸ νεκρὸν, ἀπλάσει τὰς κατ' οἶκον, καθάρσει χάριν.* His adde Joh. Lud. de La Cerda *in II. Æn. & Gutherium L. II. de jure man. c. 2.*

III. Si cui occasione somnii immundi, semen inter dormiendum fluxisset Lev. XV, 16. XXII, 4. (qui posterior locus præcisè Sacerdotes spectat) Deut. XXIII, 10. Quem casum Sacra Scriptura *שִׁכְבַּת זֵרַע* *con-*
cubitum seminis, vel קִרְי לִילְיָ. *Accidens*
seu

seu *casum noctis*, more suo verecundè adpel-
 lat. A qua posteriore denominatione is, cui
 tale quid contigit, **בְּעַל-קָרִי** *Dominus*
accidentis Rabbini dicitur. Hæc immundi-
 cia, ut omnes ita infectos, ita imprimis Sacer-
 dotes fœdabat, & ad sacra munia postero die
 peragenda planè reddebat inutiles. Quare,
 ne tale quid Pontifici, ad festum expiationis
 se præparanti, accideret (quod quidem Mat-
 thiæ Pontifici, nocte solenne jejunium præ-
 gressa, accidisse, & ob id Josephum, Ellemi
 filium, qui sacra eo die obiret, substitutum
 fuisse legimus, Josephi Antiq. Lib. XVII. c.
 IIX.) in profesto expiationis per totam no-
 ctem vigilabant apud illum Sapientes, qui
 disputabant & conferebant cum eo de Sacri-
 ficiis & aliis rebus sacris ab ipso peragen-
 dis; quò in die ipso expeditior foret, & nus-
 quam erraret. Nec non & Sacerdotes ju-
 niores, qui **פְּרִי כֹהֲנִים** *Flores Sacerdo-*
rum dicebantur, adstabant illi talitris, ne so-
 mnus ei obreperet, atque inde nocturnus ca-
 sus accideret, excitantes, quod ex Ebræorū
 scriptis refert, Philologiæ Sacræ inter Ger-
 manos gloria eminens, Vir Reverendus plu-
 rimùm & Excellentissimus, D. Salomon Glas-
 sius, Professor in hac Salana celeberrimus,
 ejus-

eiusdemq; hodie Rector Magnificus, *Gramm. Sacr. L.I. tr. 1. can 35. p. 123.* Ad similem casum Persius videtur alludere Sat. II. v. 15.

*Hæc sanctè ut postas, Tiberino in flumine mergis
Mane caput bis terq; & noctem flumina purgas.*
Quamvis de concubitu legitimo hæc accipiat Hieronymus. Cui neque nos nimium refragamur, quibus constat, non licuisse Ethnicis post Venerem etiam legitimam sacrificare, nisi prius lotis. Quod onus ipsis Christianis olim imposuit Gregorius Magnus, resp. ad qu. 10. Augustini, Episcopi Anglicani: *Vir cum propria conjuge dormiens, nisi lotus aqua, intrare Ecclesiam non debet: sed neq; lotus intrare statim debet.* Et quamvis de hac re diverse hominum nationes diversa sentiant, atq; custodire videantur: Romanorum tamen semper ab antiquioribus usus fuit, post admixtionem proprie conjugii, & lavacri purificationem querere, & ab ingressu Ecclesie paulatim reverenter abstinere. Sed & Hieronymum audiamus, qui Gregorio cœtaneus eodem, quò ille, inclinatur: *Eorum (inquit) conscientiam convenio, qui eadem die post coitum communicant, & juxta Persium noctem flumine purgant.* Apol. pro libris adv. Jovia. De somniis autem sive impuris, sive infauis, loto corpore expiatis, manifestè Silius Italicus L. IIX. Punic. Quæ

*Quæ dum abigo menci, & sub lucem, ut visæ
secundent,*

Oro cœlicolas, ac vivo purgor in amne.

Quin & mola falsa somnia expiata, Tibullus
canit L.I. El. 5.

Ipse procuravi, ne possent sœva nocere

Somnia, ter falsa de veneranda mola.

Idem Lib. III. El. 4.

At natum in curas hominum genus omnia noctis

Farre pio placant, & saliente mica.

Eaque somnia vetulæ fuisse narrata, Propertius
nos docet L. II. el. 4.

Quæ mea non decies somnia versat anus?

IV. Denique, si quis vel lepra infectus, vel gonorrhœa laborans, vel si qua mulier profluvio menstruorum aut sanguinis, vel quocumq; modo alius quis immundus redditus esset. Omnes enim hi aqua lustrari & expiari ad purificationem necessum habebant. Amplius verò, & extra dictos casus ceremonia lavandi superstitiosè frequens erat inter Judæos, & privatim inter Pharisæos; quibus è foro domum redeuntibus cibum sumere Religio fuit illotis manibus, seu, ut ipsimet loquuntur Marc. VII, 2. κοινὰς χεῖρας, *manibus communibus*: quo nomine vocarunt Judæi, quæ significare volebant minus pura atque

mun-

munda esse, ut ad hunc l. notat doctissimus
 Camerarius. Metuebant scilicet, ne forte
 per ignorantiam alicujus rei contactu inquini-
 nati essent. Vel, si mavis cum modo dicto
 CL. viro forum de negotiis forensibus inter-
 pretari; dixerim, ablutos homines pictura-
 tissimos, ad innocentiam suam testandam,
 cujus hæc ceremonia signum erat, à Deo
 ipso mandatum, Deut. XXI, 6; à Davide ce-
 lebratum, Ps. XXVI, 6. LXXIII, 13; & à Pila-
 to, Ethnico, usurpatum, Matth. XXVII, 24.
 Mirum verò, eos non ad ipsum fori introi-
 tum, Ethnicorum exemplo, posita habuisse
περιρραντήρα, *aspergilla*, quorum sæpè
 meminere Oratores Græci. Meminit &
 Theophrastus, in *Characteribus*, (α)πε-
 ρι Δεισιδαιμονίας, ubi ad eundem mo-
 dum sui seculi supersticiosos, quo Marcus
 Phariseos, describit: ὁ Δεισιδαίμων Ἰπὶ ταῖς
 τριόδοις ἀπελθὼν κατὰ κεφαλῆς λίσσαδι
 δώξειεν. *Superstitiosus in compitiis antiè*,
quàm inde discedat, aqua in caput adpersa lustra-
re se solet. Soli milites ab hac lotionè, quam
 cibi sumtionem præire Pharisei volebant,
 imanes habiti sunt; eruditè nos hoc docente
 CL. Schickardo, *tr. de Jure Regio Ebr. c. V. p. 150.*

seqq.

seqq. Reliqui Judæorum omnes aqua antè
cœnam manus abluebant. Quod ipsum Eth-
nicos quoq; fecisse, constat ex Petronio, cu-
jus hæc sunt: *Tandem ergo discumbimus, pueris
Alexandrinis aquam nivatam infundētibus, aliisq;
insequentibus ad pedes.* Postulabatur his ver-
bis: *Aquam manibus. Aquam pedibus.* Ex quo
loco simul patet, pedibus etiam aquam eos
præbuisse ante cœnam; more rursus Ebræo-
rum, pedilaviis antè, quàm cœnarent, uten-
tium, & hospites quoque suos tali lavacro
excipientium, Gen. XII, 4. XIX, 2. XLIII, 24
Jud. XIX, 21. II. Sam. XI, 8. Luc. VII, 44. I. Tim.
V, 10. Pluribus hac de re agit Wilh. Stucki,
Lib. II. Antiq. conviv. cap. XXXIII, cuius nos scri-
nia nolimus compilare.

Varias hucusque attulimus Lotionum
differentias, Judæis pariter ac Gentilibus
frequentatas, & ad excipiendas impuritates
quascunque relligiosè susceptas. Fuit tamen
& alia (ut hoc quoq; addam) expiationis per
ignem ceremonia, qua Gentiles usos legi-
mus; malè applicato ritu Ebræorum, qui-
bus, quæ spolia conveniens erat per ignem
transire, igne purgabantur, ex instituto Dei,
Num. XXXI, 23. Gentilibus autem non res
modò, sed & homines igne expiati sunt; sul-
phu-

phuris suffitu etiam ut plurimum adhibito.
Ovid. VII. Metam.

Terq̄, senem flāma, ter aqua, ter sulphure lustrat.
Juvenalis Sat. II.

- - - *cuperent lustrari, si qua darentur
Sulphura cum tædis.*

Apulejus XI. Metam. navim expiatam refert
tæda lucida, ovo & sulphure. Propertius L.
IV. Eleg. 9.

Terq̄, meum tetigit sulphurū igne caput.
Apud Homerum etiam Odyss. X. Ulysses
procorum cædem igne & sulphure expiari
iussit.

οἶσε θεῖον γῆνὸν κακῶν ἀκθῶ, οἶσε δὲ
μοι πῦρ,

ἵφρα θεώσω μέγαρον,

*Porta sulphuranus malorum medelam, porta
etiam mihi ignem,*

Ut suffiam domum.

Scitè omnes has expiationum variantias &
nervosè complexus est Procopius Gazæus
in Deuter. *Quid igitur de purificationibus in
lege constitutis dicemus? primùm quidem, præ se
figuram purificationis melioris ferre; insuper ve-
rò, à Græcanicis differre: quod eæ cum incantatio-
nibus, salibus, lauro, hordeo, mari, & transitione
per ignem fieri solebant. Et hæc hæctenus, oc-*

ca-

casione Lotionum, quibus se ad Sacrificia
præparabant Sacerdotes.

Post Lotiones nihil illis ante ipsum sacri-
ficandi actum restabat aliud, quàm ut vestes
sacras induerent, quæ Divinitus ad templi
ministerium erant constitutæ. Ubi præmu-
nimus, sermonem nobis non fore de vestitu
summi Pontificis ornatissimo; de *pallio* scili-
cet illo *byacinthino*, è cuius fimbriis tintin-
nabula aurea LXXII, totidemque per vices
disposita mala punica dependebant: nec de
amiculo humerali, sive *Epomide* illa, *Ephod* di-
cta, cuius oris ex utroque latere junctis in-
texti exant lapides duo onychini, in quibus
XII filiorum Israel nomina sculptoris opere
inscripta à Pontifice gestabantur: nec de
ἔπιπτερον *pectoralis*, quod lacunæ τῆς *Ephod*
quadratæ, relictæ vacuæ, inditum ad pectus,
palmi magnitudine adplicabatur, duodecim
lapidibus preciosis ornatum, qui continebāt
Urim & Thummim: nec denique de *lamina*
aurea, quæ scriptum nomen Dei tetragram-
maton continens, galero constringendo in-
fronte, instar *Διαδήματὸς κεφαλῆς* ad-
ponebatur, & *στέφανον χρυσοῦν*, *coronam*
auream repræsentabat: sed de vestibus solùm
Sacerdotum minorum, quibus sacrificantes
amicti incedebant. I 2 Ac

Ac proprias quidem illi nullas habuerunt; habuere tamen quasdam cum Pontifice communes: sicut hodieque Episcopi (b) vestes etiam habent presbyteri & Diaconi & Subdiaconi, in Pontificali ornatu. Eas, si vis strictim capere, hic habeto. I. Fuere מְכַנְסִים feminalia, aut, si mavis, femoralia linea, velut caligæ quædam, usque ad genua & poplites protensa, quibus partes verendæ tegebantur, ex bysso retorta sive lino duplicato confecta; quibus similis ferè poparum olim habitus apud Romanos, quo victimas confecturi utebantur, qui *limus* dicebatur: de quo Servius, ad illud Virgilii:

Velati limo & verbena tempora victi:

Limus, inquit, est vestis, qua ab umbilico usq; ad pedes teguntur pudibunda poparum. Hæc autem vestis in extremo sui purpuram limam, i.e. flexuosam habet. Unde & nomen accepit. Nam limum obliquum dicimus. II. מְכַנְסִים Tunica, eaque rursus linea & strictior: quippe sine laxitate ac fluxu superfluarum partium, sine rugis ac plicis, toti corpori adaptata; quæ à מְכַנְסִים pallio summi Pontificis proprio differebat, sicut apud Græcos differunt χιτών & ἱμάτιον; apud Latinos, tunica & pal-

pallium, juxta tritum illud: *Tunica pallio prior est.* Quod discrimen Christus ipse insinuat Matth. V, 40. τῷ θέλοντί σοι κερθῆναι, καὶ τὸν χιτῶνά σου λαβεῖν, ἄφες αὐτῷ καὶ τὸ ἱμάτιον. *Ei, qui vult tecum judicio contendere, ac tunicam tuam capere, vestem nempe interiorē & minoris precii, dimitte ei etiam pallium:* ita scilicet animum obfirma, ut nolis de eo sumere vindictam, si vestem etiam exteriorē, eandemque preciosiorem, ad se rapiat. III. טַבַּתָּן, balthus seu *cingulum byssinum*, arte plumaria & Phrygio opere confectum, quo tunica inter umbilicum & pectus adstringebatur. IV. Tandemque מִצְנֵפֶת *Infula*, aut *cidaris*, seu *mitra* ex bysso confecta, qua caput inter sacrificandū tegebatur. Erat enim omnibus Sacerdotibus capitis nudatio graviter interdicta, Lev. X, 6.

Unde procul dubio ad Ethnicos etiam mos iste manavit, ut capite velato Sacrificia peragerent. Inprimis qui Romanorum legibus vivebat Sacerdos, solitus est

(c) *Purpureo velare comas adopertus amictu.*

Aulus Vitellius igitur, *miri in adulando ingenii*, teste Svetonio, cum Caligulam adorare, ut Deum vellet; capite operto eum saluta-

I 3 vit,

vit: quod hic mos esset eorum, qui Deos venerabantur. Hinc Plautus in Curculione: (d)

*Quis hic est, qui operto capite Æsculapium
Salutat?*

Inde & Flamines, (e) quod in Latio capite velato erant semper, ac caput cinctum habebant filo, flamines dicti; quasi filamines. Atque eo modo, velato nimirum capite, Romæ omnibus Diis, exceptis Saturno & Honori, sacrificabatur. Saturno enim, quia veritati, oculi nesciæ, præsidebat, & Honori, qui non nisi illustris esse debet, vetustas noluit aliquid esse opertum. Plut. in Probl. Unde tractus Romanis mos fuit, ut hominibus similiter, qui modò dictis Diis subjiciuntur, senibus videl., & in aliquo munere honoreque constitatis, capite nudo, pileo detracto, venerationem exhibuerint: quam Germani, Itali, Galli, Hispanique ab eo adhuc populo consuetudinem retinent. Wolfg. Lazius Lib. II. de Rep. Rom. cap. XIV. In Deorum sacris autem cum non civilis honor, sed potius animi Religio, & devota intèrio spectetur; idcirco tecto capite ea fieri solita: quò inter sacra, sensibus ab omni obtutu securis, soli Divinæ rei vacarent homines. Ea fuit Æneas cum rem sacram faceret in littore Laurentis agræ

Ve-

Veneri matri ; ne ab Ulyffe cognitus inter-
rumperet Sacrificium, caput adoperuit, mo-
nitus ab Heleno:

*Ne qua inter sanctos ignes in honore Deorum
Hostilis facies occurrat, & omnia turbet.*

Hic amictus Sacerdotum sacrificantium:
quâ materiam, totus lineus; quâ formam,
candidus. Qui habitus ita ubique gentium
increbuit, ut rectè dixeris cum Pierio Va-
lerio : *In eo omnium ferè gentium con-
sensus fuit, quòd sacerdotes indumenta ex lino
gesserint: quoniam ea vestis purior & sincerior
videretur, quàm vestes ex lanarum aut vellerum
pollutione contextæ.* Hierogl. p. 299. d. Quid
enim frequentius, quàm Ifidis, Ægyptiorum
Deæ, Sacerdotes Linigeros adpellari? Nam,
ut omittamus Plinium, *Lib. XIX, cap. I.* Hero-
dotum, *Lib. II.* Apulejum, *in Apol.* Ioli Poetæ
testes nobis abundè erunt. Prodeant ergò:
Ovidius, *I. Metam.*

Nunc Dea linigera colitur celeberrima turba.
Martialis, *Lib. XII. epigr. XXIX.*

Linigeri fugiunt calvi sistrataq; turba.
Juvenalis, *Sat. VI.*

Qui grege linigero circumdatus & grege calvo.
Hinc ipsa quoq; Dea dicta est Linigera ab O-
vid. (f)

Vidi ego linigera Numen violasse fatentem V
Isidis, Iliacos ante sedere focos.

Factum inde est, quòd Salvatorem nostrum, Christum, cum linteo circumstringitur, ad lavandum discipulorum pedes, propria Osiridis veste præcinctum Tertullianus pronunciarit. Lib. de corona militis. Quodque candidum colorem attinet, Plato testis est XII. LL. χρώματα ἢ λευκὰ πρέποντ' ἂν θεοῖς εἶη, quæ ita vertit Cicero, de LL. Lib. II. Color albus præcipuè decorus Deo est. Hæc sanè opinio non à Platone primùm, aut ullo alio mortaliùm temerè excogitata; sed à Deo ipso populo suo cum reliquis sacrorum ritibus tradita, indeq; in omnes simul orbis partes dispersa fuit, perpetuoque in hæc usq; tempora observata. Nam præter Europæos, Asiaticos atque Afros, Americanorum quoque Sacerdotes, sacra peracturos, candido velari vestitu, satis notum est. De Persarum Magis ita Diogenes Laertius, in proœmio: Τῶν ἢ ἐοῦν λευκὴ, i. e. His vestis candida. De Jovis Hammonis Sacerdotibus Silius Italicus, sub initium Lib. III.

Nec discolor ulli

Ante aras cultus: velantur corpora lino,
 Et de iisdem sub finem ejusdem Libri:

AV-

- Ante aras stat veste Sacerdos

Effulgens nivea.

Ovid. V. Trist. El. V. sacrificaturus Diis, natali die conjugis suæ:

*Quæq; semel toto vestis mihi sumitur anno,
Sumatur fatis discolor alba meis.*

Fastor. Lib. IV.

*Alba decent Cererem: vestes Cerealibus albas
Sumite: nunc pulli velleris usus abest.*


Valer. Flaccus ἀργολευκῶν Lib. III.

*Delius hic longè candenti veste Sacerdos
Occurrit.*

Proinde Germanorum quoq; Sacerdotibus album sive candidum fuisse amictum, nemini dubium esse debet. Ac de Gallis, Germanorum consanguineis, apertissimum est testimonium Plinii: *Sacerdos candida veste cultus, arborem scandit; falce aurea demetit (viscū) Candido id accipitur sago; tum deinceps victimas immolant.* Lib. XVI. cap. XLIV. Germani cū etiā fœminis usi sint Sacerdotibus, has quoq; λευκίμους, καρπασίνας ἐφατῆδας Ἰππὸρπημένους, alba vestitu cultas, carbasinis amictas sagulis, Strabo refert Lib. VII. Sic Vestalibus quoque apud Romanos virginibus ἐοῦντα καρπασίνην tribuit Dionys. Halic. Lib. II. Apud Germanos, quia omnes pa-

riter viri sagulistegebantur; Sacerdotes quoque viros candido amictos fuisse sagulo, cum maximè credibile est. Atque adeò orbis teius Sacerdotes, gentilismo adhuc vigente, sacra peracturi, *lintheæ vestis candore puro luminosi*: ut Apulejus loquitur, Lib. X l. ubi Philippus Beroaldus: *Quid multa? Nonne hodie quoq; nostri Sacerdotes lintheati linigeriq; in sacrorum pompa incedere conspiciuntur? rita, opinor, translato ab Ægyptiis Sacerdotibus &c.* De qua ritus Christiani translatione, quid sentiendum sit, doctiorum iudicio relinquo: atq; ita ea, quæ de Sacerdotum præparatione dicenda erant, ob signo.

(a) edit. Is. Casaub. p. 49. (b) Fr. Ribera, III. de Templo, cap. V. (c) Virg. III. Æn. v. 405. (d) Act. III. Sc. 1. (e) Varro L. IV. de Ling. Lat. (f) L. de Ponte, Eleg. 1.



CAP. VII.

Prohibitio à sacris, apud Judæos, & Gentiles, & primævos Christianos recepta. Impositio manuum in caput victimæ, variè apud Gentiles expressa. Precum ante Sacrificia peragendarum ratio.

De

DE Laicorum præparatione, ut agamus, proximum est. Sed cum non omnibus interesse sacris licuerit, age, pauilla ea de re præfabor. Sanè quidem apud Judæos, quibusdam à sacris absentia lege fuit imperata: non tantum iis, qui extremo cuidam exitio devoti, excindi dicebantur è populo Dei, & in eo amplius non censerentur, ex majore delicto; verum etiam quibusvis, qui quoquo modo legaliter essent immundi, veluti leprosis, menstruosis, & aliter impuris, ab hominum contubernio, atque adeo ipsius Tabernaculi aditu exulandum erat; toto illo tempore, quod à lege præscribebatur. Idque officium Levitarum erat, videre, ne quis impurus aut etiam alio quovis modo indignus in Tabernaculum aut templum ingrederetur. II. Par. XXIII, 19. Diciturque hæc separatio Ebræis כְּרִיבָה, cui respondet, quod in nostris Ecclesiis vocamus prohibitionem seu suspensionem à Sacramentis; quemadmodum altera illa separatio vel potius excisio כְּרִיבָה dicitur, cui hodie apud nos respondit Excommunicatio publicè facta, qualis illa erit I. Cor. V, 3. itemque I. Tim. I, 20. ut accuratè hac de re loquitur limatissimus Scriptor, Bonaventura

ra

ra Cornelius Bertramus, *Lib. de Politia Jud.*
cap. VII. p. 41.

Hanc ipsam verò sacram, ut sic dicam, jurisdictionem imitati Gentiles, non omnes promiscuè ad altaria sua admisere: sed submotos quosdam ab iis & prohibitos voluerunt, tanquam indignos. Quales in genere scelerati quicumque, homines βέβηλοι, quibus Θύρας Πιερέας fores occludere iussit Pythagoras. Itaque initio per præconem edicebatur:

— - Εκας, εκας, ὄσις ἀλιτεῖα.

Vel: — - Εκας, εκας ἔσε βέβηλοι.

Quod Latinus Poeta expressit, VI Æn.

- - Procul, ô procul este, profani.

Cautum id in LL. XI l. Tabb. *Impius ne audeo placare donis iram Deorum.* Et servatum cum primis in sacris Eleusiniis; de quibus Lampridius in Alexandro Severo: *In sacris Eleusiniis dicitur, ut nemo ingrediatur, nisi qui se innocentem novit.* Svetonius Nerone, c. XXXIV. *Peregrinatione quidem Græciæ, Eleusiniis sacris, quorum initiatione impii & scelerati voce præconis submoverentur, interesse non ausus est.* Sed & aliis, qui immundi essent, templorum accessus apud Gentiles fuit interdictus, ut de pu-

er-

erperis supra diximus. Apud Magos hū, qui
 lentiginem habent, negari Sacrificiorum usum,
 Plinius auctor est, Lib. XXIIX, cap. XII. Itē,
 qui elati revixerunt, quibusq; viventibus exsequiæ
 factæ sunt, velut profani à sacris arcebantur; Ale-
 xandri testimonio Lib. IV. cap. XVII. Ger-
 manis, qui scutum amisissent in acie, sacra
 frequentare non licuisse, Tacitus prodidit,
de moribus Germ. Ægyptii bubulcis universis
 templorum ingressum interdixere: ut est
 apud Herod. Lib. II. Quod si quis, cui lege ve-
 titum erat, sacris interesse, interesset nihilo-
 minus, pœna ei decreta fuit gravissima. Pla-
 to, VII. de LL. τὸν ἐξεργόμενον, ἂν μὴ ἐκὼν
 ἐξεργηται. Νίκας ἀσεβείας Διὸς Βίβω αὐτὸς
 τῷ ἐθελήσαντι παρέχειν. Is, cui sacris in-
 terdictum est, nisi lubens morem gesserit, impieta-
 tis pœnas per totam vitam cuilibet persolvat.

Meminimus hujus Gentilium ritus eò lu-
 bentiùs; quòd in primitiva etiam Christiana
 Ecclesia simile quid obtinuerit: in qua tres
 hominum ordines; *Catechumeni*, qui capita
 doctrinæ Christianæ docebantur, ante per-
 ceptionem baptismi: *Lapsi*, qui & *Pœnitentes*
 dicti, qui gravi crimine se obstrinxerant,
 nec dum reconciliati erant Ecclesiæ: & *Ener-
 gumeni*, i. e. à Dæmone obsessi; priusquam
 S.

S. cœna, sive, ut Antiquitas loqui amabat, Liturgia aut Sacrificium Novi T. perageretur, (peragebatur autem *in omni Ecclesie cœtu*) (a) ex templo abire jubebantur, voce Præconis: ITE, MISSA EST: solis remanentibus sanctis, ut vocabantur, sive fidelibus, qui omnes, quotquot eorum aderant, *tremenda & salutaria illa mysteria* (b) participabant; qui ferè soli etiam hæc mysteria habebant cognita: quæ ideò in scriptis SS. Patrum metaphoricis locutionibus & figuratis videas involuta; ne alii præter fideles ea haberent perspecta. Id quod sæpiùs, ut alia multa præclara, inculcare mihi memini Excellentissimum *Theodoricum Hackspanium*, Professore Altorfino, de me optimè meritum. Scilicet, ut Gentiles in tanto precio sacra sua interdum habuere, ut qui *μεμνημένος* & h. e. initiatus non esset, resciscere ea non potuerit, idque in Eleusiniis cum primis factum: ita venerandi Ecclesie primitivæ Doctores ad occultandum S. Eucharistiae mysterium locutionibus usi sunt impropriis & subobscuris; ut isa major esset illius ex occulto admiratio & auctoritas. Unde sæpiùs positum invenias: *Hoc norunt ii, qui sunt initiati*: qui loquendi modus Chrylostomo in primis frequens, cujus

ius unicum de Eucharistia locum, qui superiora simul illustret, hic subjungo: *Ineffabili, inquit, sui misericordia nostri Deus misertus est. Et prima, quæ in Eucharistia dicitur oratio, quæ pro Dæmoniacis deprecamur, misericordie ejus commemoratione plena est. Secunda, quæ pro his, qui pœnitentiam agunt, oramus, misericordiam humiliter querit. Ipsum autem Eucharistie mysterium quanta misericordia plenum sit, initiati solummodo noverunt. Homil. LXXII. in Matth.*

De his verò, quos sacris exesse lex volebat, plura dicere nil attinet. In eos hic ergò oculorum aciem defigamus, quibus è populo sacris interesse licebat, qui que sua ipsimet pecora Sacerdotibus ad immolandum præbebant. Qui ut se præpararint ad hunc actum, legere est Lev. I, 4. ubi ita præcipitur pecora adducendi ad ostium tabernaculi: *וְסָמַךְ יָדוֹ עַל רֶאֶשׁ הָעֹלֹתִי* Et admovebit manum suam super caput holocausti. Manum, pro, manus dicitur. Ambas enim manus hostiæ solitas fuisse imponi, discimus ex Levit. XVI, 21. Exod. XXIX, 10, 15. Nec ad holocausta solum ritus iste pertinebat; sed ad omnia Sacrificia; puta, etiam pacifica, Lev. I, 1, 2. & expiatoria, Lev. IV, 4. Quid verò iste

iste sibi voluerit, Interpretes disquirunt. *Philo*, Lib. de Vict. vult, id fuisse factum in signum
 innocentiae offerentis. *Isychius Presbyter*: ad
 indicandum, oblationem suam esse sponta-
 neam. *Hugo Cardinalis*, & ex parte *Abulensis*:
 ut significaret offerens; se renunciare juri,
 quod in istud animal haberet, seque illud do-
 minio suo eximere, & cultui Divino dicare.
 Quali ceremonia veteres Romani servis suis
 se abdicarunt, eos manumittere dicti. Nam
 tenentes caput dicebant: *Hunc hominem libe-
 rum esse volo*: & mittebant eum manu sua.
Paulus apud Festum. Propius accedunt *Ribe-
 ra* IV. de Templo, c. II. *Drusius* ad diffic. loca
 Lev. cap. II. &, ex parte, *Abulensis*: manus in
 victimae caput ab offerente impositas, quasi
 peccata sua detestante, & iram Dei depre-
 cante, eamque non in suum, uti quidem meri-
 tus esset, sed in victimae illius, quam suo lo-
 co supponeret, caput immitti petente. Sanè
 enim ita perspicue habetur Lev. XVI, 21. ubi
 Pontifex solenni expiationis festo, universi
 populi Judaici personam sustinens, manuum
 impositione in caput hirci confiteri jubetur
 omnes iniquitates filiorum Israel, eoque ipso
 devovere hircum, & ex peccatorum detesta-
 tione Deum precari, ut, si quid supplicii ob
 pec-

XIIX, 6. τὸ αἷμα ὑμῶν Ἐπὶ τὴν κεφαλὴν
ὑμῶν. *Sanguis vester (sic) super caput vestrum.*

Ita nobis quidem, absque ulla ullius eru-
ditoris, cui herbam libenter porrigemus, de-
spicientia, in adplicatione hujus ritus visum
est procedere. Audiamus nunc aliorum sen-
tentias. Constat Gentiles inter Sacrificio-
rum προτέλεια hostiæ cervicem solitos
fuisse retorquere, si superis Diis esset mactan-
da, ut cœlum adspiceret; si inferis, ad spe-
ctandam terram deprimere. Hinc Brentius:
*Moses non jubet quidem collum pecudis, vel sursum
retorquere, vel deorsum deprimere, sed jubet sim-
pliciter manus ponere super caput bestię: quem
morem, à Patriarchis non sine sua significatione
usurpatum, Gentes non omnino sincerum integrūq;
conservarunt, sed nonnihil pro impia sua supersti-
tione mutarunt: & tamen perspicue adparet,
hunc morem ponendę manus super caput hostię, à
Patriarchis ad Gentes pervenisse. Præfat. in Lev.
Ph. Cluverius (c) adhuc alia ratione ritum
hunc ad Gentilium Sacrificia accommodat.
Nempe, uti apud Judæos, qui victimam pro
se offerebat, ipse manus suas illi imponebat:
sic & apud alias Gentes ipsos homines, pro quibus
sacra fiebant, manum rebus admovisse Divinis,
probat Didonis exemplo, de qua sic Virgi-
lius:*

ipsa

*Ipsa tenens dextra pateram pulcherrima Didō
Candentis vacca media inter cornua fudit.*

Moris enim erat apud Gentiles, hostiæ ad aram stanti, antequam percuteretur, molam salsam adhibere, & inter cornua ejus fundere: quod illi dicebant *mactare*, h. e. hostiam mactam sive magis auctam reddere. Qui mos sanè impositioni manuum inter Judæos receptæ valdè est adfinis: quin eo ipso, dum molam salsam faciebant, h. e. fruges in caput victimæ (d) collocabant, iisque vinum affundebant, utique manus capiti victimæ imponebant; quæ impositio fiebat inter cornua ejus, ut de Gentilibus modò diximus, & de Judæis dicturi mox sumus. Solebant etiam Gentiles manu sua fetas animalis apprehensas evellere, & ceu prima libamina flammis adolere: quæ pilorum evulsio iterum cum impositione manuum convenit, non hoc solum nomine, quod in ea manus hostiæ admovebatur; sed præcipuè, quod cum precibus fuerit conjuncta, uti & ipsa immolatio.

Virg. VI. Æn.

*Quattuor hic primum nigrantes terga juvencos
Constituit, frontiꝫ in vergit vina Sacerdos:
Et summas carpens media inter cornua setas,
Ignibus imposuit sacris libamina prima;*

Voce vocans hecaten, cœloq̄, Ereboq̄, potentem.
Ovid. VII. Metam.

-- -- *Dum vota Sacerdos*

Concipit, & fundit purum inter cornua vinum.

At Judæos etiam victimæ manu imposita preces peregisse, item confessiones & gratiarum actiones, pro ratione cujuslibet Sacrificii, quis dubitet? patet id certè in Sacrificii genere expiatorii quàm manifestissimè, ubi delinquens jubetur confiteri peccatum, quod admisit. Lev. V, 5. Quæ confessio sanè muta non fuerit, sed conceptis verbis sine dubio facta. Et, ne quis dubio relinquatur locus, en tibi Pauli Fagii verba ad h. l. cedro digna: *Hæc confessio ita fiebat. Manus imponebat capiti hostiæ immolanda, & id quidem inter cornua ejus. Dein sic dicebat: Obsecro, ô Domine, peccavi, iniquè egi & prævaricatus sum coram Te, sic & sic feci. Ecce pœnitet me, & pudet me operum meorum: nunquam revertar ad istam rem. Hæc erat forma confessionis, quam Ebræi vocant* *וְהוּ שָׁרָה בְּרִים* *i. e. confessio- nem verborum, quod fieret more solenni & certis verbis. Hæc ille. Probat hoc ipsum pluribus argumentis D. Franzius, Schol. Sacrif. Patriarch. Disp. III. ipseque Fagius formulam precum, die expiationis à Pontifice dictam, diligenter assignat, in Lev, XVI. Hæc*

Hæc cognôsse, operæ est, ne cui relligio-
siores Judæis Gentiles videantur, qui preca-
tionibus ante Sacrificia peragēda plurimùm
tribuere. Quippe, inquit Plinius, *victimæ cædi*
sine precatone non videtur referri, nec Deos ritè
consuli. Lib. XXI IX. c. II. De Ægyptiis Hero-
dotus, Lib. II. *Pecude ad aram adducta, pyram*
incendunt: deinde, Ἰπικαλέσαντες τὸν Θεὸν,
σφάζουσι, Deo invocato, eam mactant. Plinius
iterum Lib. XVI. cap. XLIV. *Tum deinde victi-*
mas immolant; precantes, ut suum donum Deus
prosperum faciat his, quibus dederit. Ubi de
Druidis, majorum nostrorum Sacerdotibus,
loquitur. Simul autem de ipso offerente, si-
ve victimam præbente, Plato X. de LL. *Tra-*
dat Sacerdotibus victimam, quibus cura sacrorum
commissa est: συνδράσθω ἢ αὐτὸς, καὶ ὅς ἂν
ἐθέλη μετ' αὐτῆ συνδράσθω. Oret autem ipse
cum Sacerdotibus, & quicumq; volet unâ orare.
Scitè Jamblichus: *Ipsa (precatio) interdum*
præmittitur, ut præcursor, quasi viam ante Sacri-
ficii faciem præparans atq; muniens. Rursum tan-
quam mediator intercedit aliquando in Sacri-
ficiis. Interdum etiam finem Sacrificiorum explet.
Lib. V. c. 21.

Quæ sententia pulchrè Judæorum exem-
plo declarari potest, quos sacrificandi initia

à precibus & confessionibus cepisse, modo diximus. Eisdem inter ipsum sacrificandi actum precibus vacasse, constat ex Jud. XX, 26. II. Par. XXIX, 28. Luc. I, 10. Tandem confici eorum Sacrificia precibus & absolvi solita, Siracides testis est, cap. L, 24. seqq. Sed de his precibus, quæ inter ipsum sacrificandi actum, & post eum, factæ sunt, alibi dicendi locus fortè erit comodior. Addamus unum de Romanis, qui tam superstitiosi hic erant, ut, ne quid in hujusmodi precibus concipiendis vel recitandis præposterè diceretur, soleret aliquis præponi, qui sacrificantibus præiret verbis; deinde custos dari, qui observaret, utrum sacrificans dictata sibi rectè & ordine pronuntiaret ac redderet. Livius Dec. I. Lib. I IX. ubi devotionem Decii narrat. Manibus etiam aram tenere precantem oportebat; quod Macrobius II. Saturn. c. 2. observavit ex his locis Virgilii IV. Æneid.

*Talibus orantem dictis, arasq; tenentem
audit omnipotens, VI. Æn.*

Talibus orabat dictis, arasq; tenebat.

Ubi Servius: *Rogabant Deos ararum, ansas tenentes.*

Et Lib. XII.

Tango aras, medios ignes & Numina testor.

Pre-

vit, Lev. I, 5. quod fit cultro acutissimo per jugulum animalis ducto & reducto, quos actus vocant **הִלְכָה וְהִבְתָּה** *abitum & reditum*, ut notat, Judaicarum rerum scientissimus, Buxtorfius, Lex p. 788. Cui Herculi subjungamus Atlantem, Joh. Bapt. Villalpandum, qui adhuc majora etiam nobis pandit mysteria, III. de Templo, cap. XXXVII, p. 231. ubi ex quorundam (a) sententia notat, verbum **שַׁחַח** (*schachach*) notione affine esse **שַׁחַח** (*Schatach*), quod propriè significat, *Expandere*; eò, quòd victimæ super lapidibus expandentur, priusquam mactarentur: idque triplici fine. I. ut sanguis efflueret facilior & copiosior. II. ut per hanc victimæ compositionem externam significaretur, internum offerentis animum quasi totum coram Deo effundi. III. ut in qualibet hostia ita distenta, tanquam in imagine viva, representaretur Messias crucifixus, & in cruce pari modo expansus, sanguinem pro nobis fundens largissimum. Et quidem (quod de suo addit,) si ex Gentium inani ac superstitioso ritu liceat exempla desumere, cum Daemonis svasu sacros ferè omnes ritus in impietatem translatos fuisse, compertum sit; omnia Sacrificia, quæ licuit Romæ, licuit autem quamplurima lapidibus insculpta

con;

*conspicere, divaricatis cruribus, & toto corpore
expanso jugulantur.* Ita ille; qui non modò
Judæorum nos edocet ceremonias; sed &
ad Gentilium ritus quasi manu nos ducit,
quibus porrò nunc immorabimur.

Nempe, ut Judæis hic mactandi actus in
Sacrificiis inter omnes alios præcipuus ha-
bitus fuit, quippe intrinsecam rationem Sa-
crificii propriè sic dicti constituens; sic pa-
riter Gentiles primas ipsi tribuere, nec nisi
pecude occisa Deos placari posse arbitrati
sunt; ideoque reliqua omnia, quæ vel ante-
cedere hunc actum, vel comitari, vel conse-
qui solebant, ad eum unicè retulere. Quò
evenit, ut singulari ceremoniarum pompa
& congerie actum hunc mactationis perfici-
erent. Primò quidem omnium, hostiam ad
aram oportebat stare, priusquam occidere-
tur. Id quòd standi & statuendi verbo in-
nuit Virgilius:

Et statuam ante aras aurata fronte juvencum.

Il. Georg. v. 395.

Et ductus cornu stabit sacer hircus ad aram.

ubi patientia victimæ solita observari, si lo-
co suo persisteret, nec aufugeret ab ara. Stans
ita, ad cædem velut consecrari consueverat,
ducto à fronte ejus usque ad caudam ante

immolationem obliquo cultro ferreo, ut notat Servius in illa Virgiliti *Æn.* XII.

*Dant fruges manibus salsas & tempora ferro
Summa notant pecudum.*

Quibus sic gestis, tum demum cædes instabat, quam Popæ & Victimarii, de quibus supra, perfecere (quod apud Judæos ipsorum Sacerdotum munus erat) qui succincti nutum imperiumque Sacerdotis expectantes, subinde Agon' dicebant, nec nisi jussi mactabant. Ovid. I. Fast.

*Nominis esse potest succinctus causa minister,
Hostia cœlitibus quo feriente cadit.*

*Qui calido strictos tincturus sanguine cultros,
Semper agatne, rogat, nec nisi jussus agit.*

Et non nihil attigit Asinius Pollio apud Senecam Lib. II. controv. XI. *Filius, inquit, cervicem porrigat, carnifex manum tollat, deinde respiciat ad patrem, & dicat, Agon'?* quod fieri solet in victimis. Jussi itaque cædem victimæ inferebant, eam primò percutiendo. Quod Judæis quidem non fuit in usu positum, ut hostiam percuterent, sed jugularent solum. Secus autem factitatum Gentilibus, qui jugulationem non nisi prævia percussione suscipiebant. Homerus de Thrasymede, *Odyss.* 7. v. 449.

Ἡλκῆ

Ἠλασεν ἄγχι τὰς πέλεις δ' ἀπέκοψε
τένοντας

Αυχενίς.

*Percussit (hostiam) prope stans. Securis au-
tem abscidit nervos*

Cervicales.

Dionys. Halic. idem de Romanorum Sacri-
ficiis prodit, VII. Antiq. οἱ μὲν ἐσῶτος ἔτι
ἔθυσαν σκυτάλη τὰς κροτάφας ἔποιον.
*Hi quidem (ex ministris) stantem etiamnum ho-
stiam veterē feriebant in tempora. Varia hic ad-
hibita instrumenta, ut vel ex dictis patet,
quæ congesta jam antè à Stuckio (b) nos hic
recensere superfedemus.*

Ad Dionysium redimus, qui verbis se-
quentibus statim jugulationis memin-
it ἡπίπτοντες ὑπετίθεσαν τὰς σφαγίδας.
Illi verò suppositis cultris cadentem excipiebant;
Eodem verbo usus, quo Virgilius, VI. Æn.

*Supponunt aliæ cultros, tepidumq; cruorem
Excipiunt.*

Ubi Servius. *Victimas, inquit, cadunt. Est au-
tem (sacrorum, in quibus mali omnis verba vita-
mus. Unde Græci non tam verbo φονεύειν, aut
κτείνειν, quam σφατίζειν & θύειν; Et Latini
potius mactandi & immolandi, quàm inter-*
fi-

ficiendi & jugulandi verbo usi sunt. Diversa hic iterum adhibita instrumenta, de quibus idem, qui suprâ, Auctor. & loco eodem. Homerus ita de hoc ritu, Iliad. a.

ἀνέρυσαν μὲν πρῶτα καὶ ἔσφαζαν.

Prius sursum traxerunt & macularunt.

Hostiam nimirum ictu securis prostratam, humoque dejectam sustulerunt & sublatam jugularunt. Ista verò victimæ est terra sublatio annexam habebat colli retractionem, ut cœlum contueretur, & largior sanguis efflueret; quod Villalpandus suprâ censuit.

Porro, effluens ille sanguis non in terram abire permissus est, sed à Sacerdotibus exceptus. Jussi enim hi divinitus, ut jugulatæ pecudis sanguinem Deo offerrent, & altari circumfunderent, Lev. I. 5. utque commodè hoc perageretur, mutuas invicem præstitere operas, ut alius quidem animal jugularet, alii autem sanguinem jugulati exciperent, & exceptum Sacerdoti illi, qui jugulaverat, offerrent, qui spargeret eum circa altare, Levit. IX, 12. Quæ ceremonia mysteriis sanctis refertissima, & (c) sanguinem Christi spargendum prædicatione Evangelii per circuitum totius orbis terrarum, inter omnes gentes designans; Demonis tamen malitiosam in sacris suis amu-
la-

lationem non excessit: Quandoquidem nec
Ethnici in terram effluere sanguinem ma-
ctatæ pecudis, tanquam rem sacram, passi
sunt, sed vasis excepere ad id destinatis, quæ
Græcis *ἀίμα*, Latinis *patera* dicuntur,
juxta illud Virgilii, cuius antè meminimus:

Tepidumq; cruorem

Excipiunt pateris.

Alibi:

Sanguinis & sacri pateras &c.

Nec exceptione sola contenti etiam super
altaria cum effudere, atque ita Diis obtule-
re & consecraverunt. Virg. Ecl. I.

Illius aram

Sæpè tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.

Imbuet, id est, perfundet seu madefaciet. Un-
de & Luciano, (d) talium Empectæ, sacrificij
τὸ αἷμα τῷ βωμῷ περιχέειν, *cruorem*
are circumfundere dicitur.

Uterq; hic ritus, jugulandi & spargendi san-
guinis, circa volucres etiam Deo offerendas à
Judæis adhiberi cōsuevit, circa Turtures nē-
pe & Pullos Colūbarū; modo solūm jugulandi
non nihil variato. Nec enim (ut hoc obiter
addam) ferro interficiebantur, ut aliæ victi-
mæ, sed capite retorto, & ad externam colli
partem & alas usque reflexo, ungue guttur

iis

his rumpebatur, ut sanguis exsiliens à summi-
tate parietum altaris ad terram decurreret.
Lev. I, 15. In quem locum R. David Kimchi, in
Radicibus suis, (e) hæc refert ex veterum tradi-
tione, quæ Vatablus ibi citat: *Scribunt Rabbi-
ni nostri: Quomodo abrumpebatur hostia, quæ fie-
bat ex ave? Ponebat Sacerdos duas alas ejus inter
duos digitos suos, & duos pedes ejus inter duos di-
gitos suos: extendebatq; sive extraherat collum
ejus super duos digitos suos, atq; secabat ungue
versus cervicem, donec attingeret jugulum: atq;
ita amputabat ea, vel majorem partem: non au-
tem dividebat, sicut dicitur infra c. V, 8. Et non
dividet. Verùm in Holocausto, quod fit ex ave, de
quo dicitur, & abrumpet caput ejus: nec dicitur,
Et non dividet: abrumpebatur & dividebatur ca-
put seorsim, & corpus seorsim. Hæc ille. Quæ si
probè perpenderit, hic quoque, sub typi in-
volucris, figuram crucis latere deprehen-
des.*

(a) Schindl. & Pagn. Lex. (b) de sacrif. fol. 109
(c) Brentius in Lev. I, 5. (d) Tom. III. Lib. de Sa-
crif. (e) Rad קרן.



CAP.

CAP. IX.

*Victimæ excoriatio. Pelles Sacerdotibus datæ. Iis
insistebant expiandi. Alii Pellium usus, obiter.
Pelles unâ cum victimis concremata. Victimæ
dissectio. Phrasis Apostolica: ὁ ἑτορομαεὶν τὸν
λόγον. Coxa tota DIs sacra. An hoc ex hi-
storia Jacobi? Adeps in altari adolitus.*

Actum habuimus Sacrificiorum prima-
rium, qui hostiæ jugulatione absolvitur;
quem comitantur alii, quos proinde, non in-
epta denominatione, Actus comitantes di-
xeris: inter quos Sanguinis exceptio, & ad
aram aspersio jam enarrata nobis est; enar-
randa porrò Excoriatio & Dissectio, & quæ
sunt alia ulterius hæc insecuta. Excoriatio
est pellis detractio, à Deo præcepta, Lev. I. 6.
tūm ob mundiciem Sacrificii, tūm ad usum
Sacerdotum, quibus pelles cedebant de ho-
locauftis, Lev. VII, 8. de expiatoriis autem
pro peccato, non item. In his enim (ut & in
immolatione vitulæ rufæ) comburebantur
pelles, fimus & cornua victimæ, extra castra,
ad inducendam peccati detestationem. Lev.
IV, 11, 12. Num. XIX, 5. Munus erat excoria-
tio eorum proprium, quibus cedebat coriū,
scil. Sacerdotum; ita tamen, ut urgente ne-
cessitate etiam Levitæ has partes subirent.
II. Paral. XXIX, 34. Tan-

Tantum est, quod Scriptura de hoc ritu nobis suppeditat. Nunc Gentiles ad eam, qui similiter victimas suas pellium detractione quasi excorticarunt. Homerus, Iliad. 2.

Ἀνέρυσαν ἕν πρῶτα καὶ ἐσφαζον καὶ ἐδέρσαν.
Primum quidem sursum traxerunt, tum mactarunt & excoriarunt.

Sic Apollonius:

Τὸς δ' ἐτάροι σφαζόντε Διὸς δειγντὴ Βοείας.

Tauros autem socii mactarunt celeriter & excoriarunt.

His similia sunt illa Virgilii, quibus pellium detractionem ita περιφράζει:

Tergora diripiunt costis, & viscera nudant.

Insuper istæ pelles Sacerdotibus dabantur, qui futura somniaturi in Deorum templis iis iacubabant. Observo ex illo Virgilii:

Hinc Itale gentes, omnisq; Oenotria tellus,
In dubiis responsa petunt: buc dona Sacerdos,
Quum tulit & cesarum ovium sub nocte silenti
Pellibus incubuit stratis, somnosq; petivit,
Multa modis simulacra videt variantia miris,
Et varias audit voces, fruiturq; Deorum
Colloquio, atq; imis Acheronta affatur averni.

Re-

Refero huc & illud IIX. Æn. de Evandri
Sacrificio:

*Jamq̄, Sacerdotes, primusq̄, Potitius, ibant,
Pellibus in morem cincti, flammisq̄, ferebant.*

In sacris Eleusiniis Daduchus utebatur pel-
libus hostiarum, quæ Jovi fuerant immola-
tæ, vocabanturque Διὸς κώδια, Jovis
velleræ, ut est apud Suidam. Porro profanos &
aliquo scelere contaminatos, cum loca sa-
cra calcare non possent, ac nihilominus in
sacro peragenda eorum esset expiatio; pelli-
bus hisce sacris institisse, idem his verbis
tradit: Διὸς κώδιον ἕτως ἐκάλουν τὰ τῶ
Διὶ τεθυμένα· καὶ αὐτοῖς κέχρηται, πρὸς
τὸς τῶν ἀνθρώπων ἐναγῶν καθαρμὸς, τὰ
αὐτὰ τοῖς ποσὶν ἐκείνων ἑποσρωννύοντες.
Jovis vellus: Sic adpellabant ea, quæ Jovi erant
immolata; iisq̄, utebantur in lustratione homi-
num pollutorum, eorumq̄, pedibus illa substern-
bant. Substratis δεξιτέρῳ ποδί, sinistro
pede, institisse pollutos: quoad purgati lu-
stratiq̄ue piaculari nexu exsolverentur, He-
sychius auctor est.

De aliis pellium usibus, Stuckium adi dis-
ferentem: & Lambertum Danæum, qui pri-
mi hominum vestitus pellicei, à Deo ipso

L

con-

confecti, vestigia ex *Politico* Platonis, in quo primum hominum vestimentum dicitur *ἀζωβελον* fuisse, καὶ ἔδειμιος Παισιμὸς ἔργον; & ex *Hesiodi Lib. II. Oper. & Dier.* deducit pulcherrima: itemq; incomparabilem Philippam Cluverium: qui majores nostros pellibus tectos nobis sistit, indeque eos, qui extra bellum somno dediti his per ignaviam crebro incubabant, vocatos per contumeliam *Bärenheuter* quasi, *ursinarum pellium incubitores*, fuisse scribit *Antiq. Germ. L.I. c. XVI. p. 147.* Nobis digito hæc attigisse sufficiat.

Hoc unum Lectori in memoriam hic revocamus: nonnunquam hostias à Gentilibus mactatas, unà cum pellibus in ignem fuisse conjectas, eoque concrematas; planè, ut *Ebræis* factitatum in Sacrificiis pro peccato. Sed hoc jam supra diximus, ex *Lucian. Lib. de Sacrif.*

Excoriationem excipit Dissectio animalium in frustra, *Lev. I. 6*; quæ in *Holocaustis* quidem fiebat in caput, adipem, intestina & crura, ut ibidem exstat, *v. 8, 9*: in aliis autem Sacrificiorum speciebus ita, prout certæ victimarum partes Deo erant cremandæ, quædam Sacerdoti cedebant, aliæ offerentibus reservabantur. *Lev. III.*

Apud

Apud Gentiles eodem modo excoriatio-
nem proximè dissectio est insequuta; testi-
bus, qui hæc duo immediatè conjungunt;
Dionysio Halic. Lib. VII. καὶ μετ' ἑτο δειραν-
τέστε καὶ μελίσσαστες. Ac mox excoriatam
(hostiam) concidebant membratim; & ante
eum, Homero, Il. α. v. 460.

— καὶ ἔδειραν ο

Μηρῶν τ' ἐξέταμον.

Et excoriarunt, coxasq; secuerunt.

Eaque non perfunctoriè & indistinctè; sed,
Judæorum exemplo, dextrè accurateque &
solerter suscipi solita: ut quæ partes Diis sa-
cræ essent, à cæteris convivio destinatis aptè
secernerentur. Homerus dicit Πισαμένως,
scienter: item, περιφραδέως, ritè & consi-
deratè, Iliad. B. v. 429. & κατὰ μοῖραν,
juxta portiones secare, Odys. γ. v. 457. Unde
lux adfulget phrasi Paulinæ: ὀρθοτομεῖν τὸν
λόγον, quæ II. Tim. II, 15, occurrit: qua ad
ipsum hunc Sacrificiorum actum, in decenti
sectione positum, Apostolus respicit. Beza
ad hunc locum: Rectè secet, ὀρθοτομεῖν τὸν
i. e. qui primùm omnium, quod ad doctrinam ipsam
attinet, nihil prætermittat, quod dicendum sit: ni-
hil etiam adjiciat de suo, nihil mutilet, distorpat ο

torqueat : deinde spectet diligenter , quid ferat
 auditorum captus , quicquid deniq; ad edificatio-
 nem conducatur. Est autem sumpta translatio ab illa
 legali victimarum sectione ac distributione. Cum
 quo sentit felicissimus Scripturæ interpretis ,
 Matth. Flacius Illyr. Gloss. ad h. l. Metaphora ,
 inquit, sumpta est à Sacrificiis , ubi accuratè fuit
 distingvendum sanctum à profano , & partes
 Deo offerende ab illis, quæ Sacerdotibus, aut etiam
 Sacrificantibus (laicis) debebantur. Et Georgius
 Major : Arbitror sumtum esse verbum à Sacerdo-
 tum officio, qui secabant hostiarum membra. Nec
 enim licebat temerè partiri , ut cuiq; videbatur ;
 sed Deus alia membra abjici, alia sibi inflammari,
 alia attribui Sacerdotibus voluit. Planè ars erat,
 dividere hostiam. Oratione peculiari de verbo
 ὄρδοτομεῖν.

Sed pleniùs totum hunc secandi ritum,
 Gentilibus receptum, quæque illi annexa
 erant, ex citato Homeri carmine perdisci-
 mus, ubi ita pergitur :

Μηρῶς τ' ἐξέταμον, κατὰ τε κνίσῃ ἐκάλυψαν, (τησων.
 Δίπυχα ποιήσαοτες, ἐπ' αὐτῶν δ' ὤμοθεν.
 Coxas secuerunt, & adipe cooperuerunt,
 Bisariam facientes, ipsis autem cruda impo-
 suerunt.

Ex

Ex quibus verbis insuper quatuor colligo.
 I. Coxarum præ aliis partibus, omnibus in
 Anatome rationem fuisse habitam; tanquam
 partium maximè sacrarum, quæ inter cæte-
 ras præcipuè DIs gratæ sint, & adolendæ to-
 tæ: quas proinde in esum offerentium cede-
 re, Religio erat. Loca parallela habentur
Iliad. β. v. 423. Odysf. γ. v. 456. ubi itidem præ
 aliis partibus coxarum in sectione mentio
 fit. Ejus rationem Eustathius *Iliad. β.* reddit
 geminā: *Ἄφ' τὸ σωτελεῖν τοῖς ζώοις εἰς βά-
 δισίην τὸ εἰς γένεσιν τῆ προσφύσσει σπέρμα* ©.
 Eò scilicet tanto studio & superstitione co-
 xæ è reliquis hostiæ membris delectæ, & DIs
 consecratæ sunt, *quòd conferant ad animalium
 tum incessum, tum generationem, ejectione semi-
 nis.* Utraque ratio sacris etiam litteris con-
 veniens. Nam & Jacob Patriarcha coxæ
 luxatione claudicans incessisse; & soboles
 ejus, quam genuit, de femore seu coxa ejus
 egressa dicitur. *Genes. XXXII, 31. XLVI, 26.*
 Quin ex hac ipsa, de luxatione femoris Ja-
 cobi, historia, videntur superstitionis hujus
 suæ, circa femora hostiarum, occasionem ar-
 ripuisse Gentiles, quod ita ea DIs suis sacra
 esse vellēt, ut ipsi nec quidquam de iis degu-
 starent. Nempe, ut Judæi, in historia hujus


memoriam, abstinuerunt esu nervi contractionis, qui est in pala femoris, sive, ut Vatablus interpretatur, à musculo contrahente sese & movente, sive à parte illa coxendicis: sic probabile est, Gentiles quoq; κακοζήλῳια quaedam, in Sacrificiis suis hostiarum coxas atq; femora DIs suis maluisse adolere & consecrare, quàm comedere; licet aliàs in profanis epulis μηρῶι, ut idem Eusebichius *Odyss. θ.* loquitur, fuerint περισπῆδασι, i. e. magnoperè expetita, nec nisi optimis quibusq; porrigi solita.

I. Eas adipe sive pinguedine fuisse obductas, quò faciliùs exardescerent, & totæ conflagrarent. Iterum ad exemplum Ebræorum, qui omnem victimarum adipem Deo tenebantur offerre, & in altari concremare, Lev. III, 16. cuius præcepti transgressio & ad quorundam Gentilium, victimarum adipem comedentium, pravum morem deflexio graviter illis exprobratur Deut. XXXII, 38. Tales Persæ erant, qui hostiarum corpora integra, unà cum adipe, comedentes, Deos sola anima contentos credidere.

III. Eodem fine eas fuisse duplicatas, unà cum ipso adipe sive omento, Eustathio interprete. IV. Crudas particulas ex omnibus

reliquis hostiæ membris profectas duplicatis illis femoribus solitas fuisse imponi, atq; ita simul cū illis, primitiarū instar, Dis adoleri. Quod postremum verbo ὠμοθετεῖν, quod propriè est, *crudum imponere*, ab Homero expressum, ita apud Dionysium habetur Lib. VII. ἀπαρχὰς ἐλάμβανον ἐξ ἐκάστων σπλάγγων &c. *Delibatas ex singulis visceribus aliisq; membris primitias farrea farina imbuebāt, & in canistris offerebant sacrificantibus: qui aris impositas succendebant, & vinum inter adolendum adfundeabant.* Quibus Historiographi verbis porrò velut manu ducimur ad oblationem farinaceam, quæ Sacrificiis carneis tum apud Judæos, tum apud Gentiles, addi solebat, vini item libationem, intentius ex Antiquitate eruendam. Quamvis enim ut plurimum apud Gentiles hic intercesserit superstitionis exta inspiciendi, indeque auguria sumendi ritus, de quo multa refert Cicero II. *de Divin.* Gyraldus *Synt.* XVII. p. 505. seqq. & Peucerus *Lib. de gener. Divin.* quia tamen non à Judæis mos ille manavit, sed mera suggestione Cacodæmonis à Gentilibus fuit susceptus: idcirco non est, quòd de eo nunc agamus, ea hic afferre contenti, quæ ad comparationem Judaicorum & Gentilitiorum

rituum videntur pertinere. Quò nos itaque
Dionysius ducit, sequamur.



CAP. X.

*De Mincha, sive oblatione farinacea, ut erat ap-
pendix Sacrificiorum, & constabat simila, sale,
oleo, vino, ac thure.*

INitio hoc monendum: oblationem farina-
ceam, vel seorsim factam fuisse, absq; car-
ne victimarum, vino quoque nullo adfuso,
prout de ea suprâ egimus ex Lev. II; vel ad-
pendicem fuisse carneis Sacrificiis additam,
ad pleniorum cultum Deo præstandum. Quo
posteriore modo de ea hic nobis agendum
ex Num. XV, 3, 4, 5.

Legem ibi tulit populo suo Deus Israelis,
ut quibuscunque Sacrificiis pecudum, quæ
de bobus, ovibus & capris in Holocaustum,
vel etiam in hostiam pacificam offerrentur,
tanquam adpendix quædam adderetur sua
portio Similæ, Salis, Olei, Vini ac Thuris; hoc
ordine, ut victimæ carnibus altari illatis
jamque cremandis Sacerdos ex simila, quæ
sale & certa mensura olei condita & com-
mista esset, pugillum imponeret: simul etiam
cùm

cum similæ, tum ipsi victimæ suam vini portionem adfunderet: tandemque Thus pugillo isti superadderet: post ignem excitaret, & hæc omnia Deo adoleret, in odorem bonæ fragrantia. Num. XV. Confer Ex. XXIX, 40, 41. Lev. VII, 14. Esdr. VI, 9, 10. Idipsum quoque in oblatione hostiæ pro peccato in mundatione leproforum, supremus Legislator voluit observari, Lev. XIV, 11. Et ne quidquam in proportione aut mensura erroris contingeret, ipsemet pro diversitate precii victimarum, mensuram libaminum accuratè præscripsit, l. d. Num. XV, 6. seqq.

Huic verò instituto Divino, quid magis adfuit, quàm quod est apud Plinium? *Numa Pompilius Deos fruge coli, & mola salsa supplicari instituit. Hæc mola ex farre, sale & aqua fuit composita: sine qua mola nullum Sacrificium ratum fieri existimant.* Lib. XXX. c. V. Observavit pridem hanc convenientiam Vir ab omni litteratura instructissimus, I. Brentius; *Gentes (inquit) addiderunt Sacrificio pecorum fruges sale conspersas, & vina. Sic enim dicit Homerus: Ουλοχύτας προσβάλοντο, hoc est, obtulerunt hordeum sale conspersum. Et de Vino: Επί δ' αἰθοπα οἴνου λιβέ. Libavit nigricans vinum. Sic & apud Moysen Sacrificiis pecorum*

L s

sua

sua additur Mincha. Hoc enim nomine vocant oblationem farinae aut placentarum. Additur & sua Vini mensura. Ac diligenter quoque exigitur, ut omnis Mincha sale condiatur. Præfat. in Levit.

Atque ut intimiora hujus ritus efficacius penetremus; age, singula, quibus accessoriæ illæ oblationes Sacrificiorum constabant, (constabant autem his quinque: Simila, Sale, Oleo, Vino & Thure) invicem contendamus. I. Similam sibi offerri Deus præcepit; **שִׁמְלָה**, quæ Scripturæ usu pro farinae flore purissimo sumitur: quamquam Latini veteres similam à polline distingverent, quòd pollen flos esset farinae purissimus; simila verò ea, quæ pollini succederet, quæque maximam vim nutriendi haberet, inter pollinè & farinam confusaneam medium locum obtinens. Similam tamen etiam pro purissimo flore accepit Isidorus L. XX. Originum, c. 2. *Simila* (inquit) *subtilissima est farina*. Farinam autem quid Romanis Græcisque frequentius in oblationibus? adeò, ut illis quidem, inde à Numæ temporibus, in perpetuum morem abierit: his autem, auctore Pythagora, etiam in proverbium: **μη̄ θῡον̄ ἀτερ̄ ἀλ̄-φίτων̄**. *Non litandum esse sine farina*. Cui ritui suam insuper causam addidere symbolicam,

non

non minimam pietatis partem in moribus cicu-
randis, & ad mansuetudinem componendis, sitam
esse. Farina enim mollis & tractabilis symbo-
lum est mansuetudinis. Ita Plutarchus in Nu-
ma, & Lil. Greg. Gyraldus, *Pyth. Symb* p. 490.

¶ I. Sal addebatur similæ, tanquam condi-
mentum. Lev. I 1, 13. *Quicquid obtuleris Sacrifi-
cii, sale condies.* Quæ verba, non obstante voce
מִינְחָה Mincha, quam retum solum ina-
nimatarum Sacrificium notare, palam est, de
omni genere Sacrificiorum optimi quique
Interpretes accipiunt, præcuntibus Philone
L. de Victimis: Hieronymo *epist. IV. ad Rust.* &
Josepho, *L. Antiq. III. cap. X.* quin facem præ-
lucente ipso Christo, *Marc. IX, 4.* accedente
etiam contextus *συναφεία*: ut adeò ho-
stia quoque pro peccato, quibus oblatio si-
milaginea nulla addebatur, salem recepe-
rint, antequam in altari positæ combureren-
tur. Quid ad hæc Gentiles? Audi iterum
Plinium: *Maximè (inquit) in sacris, intelligitur
salis auctoritas, quando nulla conficiuntur sine mo-
la salsa.* Et Ovidium, *I. Fast.*

Antè Deos homini quod conciliare valeret,

Far erat, & puri lucida mica salis.

Homerus sanè *I. Iliad.* salem *ἑῖον*, di-
vinum adpellat, cuius adpellationis rationes
ad-

adfert Plutarchus *V. Conviv. qu. 16.* & Plato in *Timeo*, amicum Deo corpus; ob hunc ipsum in Sacrificiis usum. Inde est, quod alias etiam extra sacra, quædam ejus Religio fuerit habita. Certè convivia omnia sale instruebantur: adeò, ut sal hospitalitatis symbolum, & mensa illa profana haberetur, cui salinum non esset adpositum, ut ex illo Arnobii, quod Lipsius *I. Saturn. c. 2.* refert, intelligitur: *Sacras facitis mensas salinorum adpositu, & simulacris Deorum.* Ex quo more rationem deducunt litteralem Interpretes, cur sale condiri Sacrificia omnia Deus voluerit? eò, inquiunt, illud factum, quòd nullum convivium absq; sale agitari soleat: ob idq; nec decebat Sacrificia, ceu Dei convivia, sine eo adparari. Bonfrer. in Lev. *II, 13.* Sed & fœdera apud Gentiles intervntu Sacrificii saliferiebantur: quòd sale significetur firmitas atque constantia. Et hinc ipsa Phrasis: Ferire vel icere fœdus: quia pecora in pactione fœderum feriri solebant in Sacrificium, quod sale nunquam carebat. Cujusmodi exempla plurima congeffit Castro, in *Jerem. XXXI, 31.* & Stuck. *Antiq. Conviv. p. 104.* Ac privatim quoque, ubi in mensam profundi eum contigisset, ominosum credebatur; quasi ita fœdus amicitia rescisum.

sum fore, portenderetur; ut eleganter ostendit Pierius, *Hieroglyph.* qui evolvi omninò dignus. Unde rursus Interpretes exposituri, quid sit, quod dicatur *Salsæderis*, Lev. II, 13, hanc arcessunt rationem: quòd vel in fœdere Ebræorum cum Deo, unà cum Sacrificio, verisimiliter fuerit adhibitus, Exod. XXIV, 5; vel Legis divinitus latæ perpetuam soliditatem notarit: quemadmodum locutione reciproca Num. XIX, 19. II. Par. XV, 5. dicitur *Fœdus Salis*, pactum firmum & stabile. Videantur Stuckius, *Antiq. Conviv. L.I. c. 30. p. 106.* Henr. Salmuth *ad L.I. Memorab. Pancirolli de Ammoniaco, p. 58.* & P. Fagius *in Lev. II, 13.*

III. Oleum miscebatur similæ; cujus Palæstina fertilis erat: & hinc usus illius apud Judæos plurimus, sacer atque profanus. Ac iste quidem nec Ethnicos latuit, ut ex illo Virg. constat, VI. Æn.

Pingve superq; oleum fundens ardentibus extis.
Hoc solum interest, quod Judæi similæ miscerent oleum: contrà Gentiles ipsi demum igni impositis visceribus id infunderent, ut faciliùs exurerentur. Quod præcedens proximè versus indicat:

Et solida imponit taurorum viscera flammis.

IV. Vinum adfundebatur: ut, quod carne

vi-

victimæ, tanquam obsonio, farina, tanquam pane, oleo item & sale, ceu condimentis, esset instructum, potu quoque vacuum non esset (*ἀνδρωποπιᾶς* loquendo) Dei convivium. Quare, ut priora illa, stylo Scripturæ, pro Mincha, *zum Speisopffer*: sic Vinum pro Libamine, *zum Trancopffer* / oblatum dicitur. Num. XV, 4, 5. Acque hæc est illa Libatio, cujus toties meminere scriptores Ethnici: quæ non solum, hostia adhuc stante ad aram, vino inter cornua ejus effuso, fiebat: sed etiam in ipso altari ea jam dum flammis imposita. De quo ritu suprâ Homerum audivimus ex Brentio: nunc Virgilium audiamus, V. Æn.

*Hic duo ritè mero libans Carchesia Baccho
Fundit humi. ibidem: - Extraq; salsos
Porriciam in fluctus, & vina liquentia fundam.*

Georg. IV.

Ter liquido ardentem perfudit Nectare flammam.
i. e. interprete Servio, in ignem vinum purissimum fudit. Alibi verbo invergendi utitur, VI. Æn.

-- *Invergit vina Sacerdos.*

Nec verò omne Vinum libationi erat idoneum: sed cura quædam hic à Gentilibus adhibebatur. Sic Pythagoras vetuit Dis libare
ex

ex amputatis vitibus, *σπέρδεν Σεῖς ἐξ ἀμ-
πέλων ἀτιμήτων.* Quod ipsum & aliorum
legibus fuit cautum: ut est apud Plinium.
Maurus verò Servius in sacris dici ait, ut is
furore corripiatur, qui de vino sacrificave-
rit, quod de vitibus esset amputatis. Gyr-
aldus, *Pythag. symb. p. 489.*

V. Denique his omnibus Thus adjicieba-
tur: quod quia modicum erat, hinc certa
ejus mensura, uti nec salis, non præscribitur
Num. XV; habetur autem toties ejus mentio
implicita, quoties holocaustis & pacificis
sacrificiis clausula hæc adponitur: *Oblatio
ignita odoris suavissimi, quo delectatur Dominus,*
*Das ist ein Ferber / zum süßen Geruch dem
HERRN.* Lev. 1, 9, 11, 5. Gen. XIX, 21. Quod D.
Apostolo est *ἡσμία τῷ θεῷ εἰς ὄσμιον ἑνώ-
δίας,* Eph. V, 2. Quo loquendi modo, ab homini-
bus desumpto, significatur sacrificium placuisse
Deo; sicuti solent homines delectare suaves nido-
res, eosq; recreare. Rivetus, *Exerc. LVI. in Genes.*
Meminere & Gentiles. Plautus in Am-
phitr. *Prodigiali Jovi aut mola salsa hodie, aut
thure masculo comprecatum oportuit.* Virgilius:
Verbenasq; adole pingves & mascula thura.
Idem:

Una omnes juvenum primi, pauperq; Senatus

Thu-

Thura dabāt; tepidusq; cruor fumabat ad aras.
Sic & Persius:

- - *nullo thure litabis,*

Hereat in stultis brevis ut semuncia mentis.

Et Martialis Lib. I IX.

Dat popul9, dat grat9 eques, dat thura Senat9.
Et Ovidius V. Trist. El. 5.

Da mihi thura, puer, pingves faciētia flammās,

Quodq; pio fūsum stridat in igne, merum.

Atque adeo quæcunque Judæis, jussu Divi-
no, pro mincha & libamine, solita erant of-
ferri, eadem Gentilibus observata fuisse, ex
dictis constat.



CAP. XI.

*Victimarum crematio. Ignis cœlitus demissus. Dæ-
monis præstigia. Cultura ignis apud infideles.
Mos æterni ignis fovendi. Ejus extinctio, & re-
parandi ratio. Forma Leonis in igne sacro E-
bræorum.*

JAM verò campus se nobis pandit latissi-
mus, postquam ad eam Sacrificiorum cere-
moniam, quæ crematione perficitur, quæque
actus ipse Sacrificiorum conficitur, perve-
nimus. Isque campus bipatens est, Judæis
pariter tritus, ac Gentilibus. De Judæis du-
bium

bium nemini esse potest, qui priora saltem Levitici capita levi oculo perlustrarit: ubi omnes rituum Sacrificialium præscriptiones tandem in hæc ferè verba desinunt. *Et Sacerdos hæc adolebit in altari holocaustorum, igne scilicet ritè subjecto; ad quem continendum interius cavum erat altare, & in ipsa cavitate habebat focum, vel arulam æneam, cui ignis erat impositus, qui per craticulam, quæ superne, instar retis, totam altaris longitudinè & latitudinem occupabat, refract⁹ victimas in craticula illa jacentes combureret, & cremando absumeret, ut ex Exod. XXVII. constat. Quo fine suprà etiam in atrio Sacerdotum sub dio positum diximus hoc altare, ut fumus & nitor ardentium victimarum, quæ omnes in hoc altari offerebantur, faciliùs ascendere posset atque evolare.*

Non minùs autem de Gentilibus comper- tum hoc est, & vel ex locis jam dum adductis constat, quòd igni tandem victimas suas tradiderint comburendas. Sic Dionys. Lib. VI l. *οἱ δὲ τῆν Βωμῶν τῆν Δεῦτερῶν ὑψηλῶν. Hi autem aris impositas (victimas) succendebant. Sic Virgil. Æn. XII.*

Admovitq; pecus flagrantibus aras.

M

Et

Et hinc etiam Tibullus:

Cernite fulgentes, ut eat sacer agnus ad aras.

Sed hæc exigua sunt & nondum etiam ini-
tatis propalanda, præ illis mysteriis, quæ ad-
huc, circa hunc cremandi ritum, Gentilibus
olim cum Judæis fuere cõmunia. Scilicet, nõ
quilibet ignis, humana arte manuq; excita-
tus, comburendis victimarum visceribus ad-
moveri poterat: sed ILLUSTRIS MIRACULO
cœlitus delapsus ignis Judæorum Sacrificiũ,
ab Aaronis consecratione primum, accende-
bat, Lev. IX, 24. qui postea à Sacerdotibus ad-
servatus, omnibus aliis victimis cremandis
adplicandus erat, Lev. VI, 12, 13. cujus instituti
transgressionem, & profani ignis adsumtio-
nem, stupendo supplicio luerunt, Aaronis fi-
lii, Nadab & Abihu, Lev. X, 1, 2. Verè, inquam,
ILLUSTRE hoc erat MIRACULUM, quod ignis,
ad hoc præstandum officium, cœlo descen-
derit; ac, ut majestatis, ita & præsentissimi
favoris Divini & benevolæ Sacrificii adpro-
bationis luculentissimum indicium, quod
ulterius ex historia Davidis, I. Par. XXI, 26.
Salomonis, II. Par. VII, 1. Eliæ, I. Reg. XIX, 38.
& Gedeonis, Jud. VI, 21; evidens est.

Sed ecce, ut *religiosa Sacrificiorum prædica-
menta Ebræis, sacrilega imitamenta Paganis fue-
re!*

re? ut Augustini verba faciam mea. Simile
namque prodigium Ethnicis ostentare soli-
tus est Dæmon in Sacrificiis, quæ sibi offere-
bantur, ut est nequissimus Divinitatis æmu-
lator, & veritatis interpolator callidissimus.
Ita enim Solinus Polyhistor, Libri sui cap. XI.
*Nec longè, inquit, inde collis Vulcanius, in quo, qui
Divinæ rei operantur, ligna vitea super aras stru-
unt, nec ignis adponitur in hanc congeriem, cum
porricias intulerint: si adest Deus, si sacrum pro-
batur, sarmenta licet viridia ignem sponte con-
cipiant, & nullo inflammante, à litato Numine
fit incendium. Ibi epulantibus adludit flamma, quæ
flexuosis excessibus vagabunda, quem contigerit,
non adurit: nec aliud est, quàm imago nuncia
perfecti ritû voti. Hæc ille. Quibus docemur,
Ethnicos quoq; Sacrificia sua igne miracu-
losè immisso nonnunquam vidisse consum-
ta, & hoc externo signo, pariter ut Judæos,
de benevola Sacrificiû oblatis acceptione,
quod Deo probetur, & perlitatum illi sit,
redditos fuisse certiores. Pari modo de Se-
leuco proditum est, quod cum Jovi in Pella,
Macedoniæ oppido, victimam immolaret,
ligna aris imposita ultrò flammam conce-
perint. Et Servius in illud *Æt. XII. Quia sede-
ra fulmine sanxit. Apud majores, inquit, ara non**

incendebantur, sed ignem divinum precibus eliciebant, qui incendebat victimas. Unde forsan & Jupiter Elicius adpellatus est. Sic in ara Eguatiæ Nymphæ, quæ in Apulia culta fuit, lignis superpositis exstructisque, ignis sua sponte excitari incendiq̃ue, ab antiquis existimabatur. Quid ad hæc dicemus? An profectis habebimus, quæ ex veris illis Sacrarum literarum historiis commenti sint Scriptores Ethnici, ut sunt fabularum figuli & geruli? An videtur tot auctoribus temerè deneganda fides? An verò apparet verosimilius, Diabolum hujusmodi ignes, Dei permisso, sæpè Sacerdotum magicis incantationibus provocatum, ex aere, tanquam carcere illo suo turbido, in Gentilium Sacrificia, ut olim in Hiobi greges, demisisse? vel etiam Sacerdotes fascinationibus quibusdam usos fuisse in ignibus illis accendendis, ita, ut rude imperitumq̃ue vulgus, illos cœlitus descendere arbitraretur: idq̃ue fecisse, ejusdem fidei & auctoritatis, quæ Judæorum Sacrificiis habebatur, sibi suisq̃ue sacris conciliandæ gratia?

Hinc illa πυρολατρεία, sive, superstiosus ille ignis cultus, apud Ethnicos traxit originem. Ac ipsi primùm Chaldæi & Assyrii

rii ignem coluerunt sub nomine ΥN , UR, quo aliàs patria patris credentium adpellatur, Gen. XI, 31. ubi Judæi, more suo nugivenduli, ita Abrahamum à Deo ex Ur Chaldaeorum eductum fuisse intelligunt, ut ex igne tradant liberatum Divinitus, in quem à Chaldaeis conjectus esset: quòd renuisset, Deum Chaldaeorum, Ur seu ignem, patriis ritibus adorare & colere. Quæ fabulosa sine dubio sunt: (a) cùm sit certissimum, Ur loci nomen esse; sed inde tamen constat, ignem Chaldaeis pro Numine fuisse habitum. Post Chaldaeos Ægyptii quoq; ignem venerati sunt sub nomine SERAPHIM, quod, à $\text{S}\text{E}\text{R}\text{A}\text{P}\text{H}$ *Seraph*, deductum *ardere, flagrare, splendere* significat: quasi dicas flammeum, ignitum & lucidum quidpiam. Neque Perforum & Medorum Numen, quod adpellatione URIMASDA celebratur, aliud quidquam sonabat, quàm igne; voce ex Ur, ignis, & $\text{C}\text{H}\text{A}\text{S}\text{I}\text{D}$, Chasid, *Sans* *us* probabiliter composita, ac si lucem sanctam vel Divinam diceres. Et hanc ipsam ob causam noluerunt suorum corpora igne comburi, ut Herodotus refert L.III. quòd nefas ducerent, ea depasce atq; consumi ab eo, quem Numinis loco colerent. Idem, Tyrio Maximo auctore, cum igni sacrificarent,

præbito alimento, his utebantur verbis: **EDĒ,
DOMINE IGNIS,**

Porro à Chaldæis, Assyriis, Ægyptiis, Medi-
dis atque Persis, ut plurimæ aliæ superstitiones,
ita hic quoque superstitionissimus ignis-
cultus ad Græcos, & ab his postmodo ad Ro-
manos fuit propagatus. Nam hi quoq; ignem
venerati sunt **Ἡφαίστος**, i. e. *Vulcani*, &
Ἑστία, i. e. *Vesta* nomine: quæ ipsa quoque
duo nomina non aliunde videntur deducta,
quàm ab Ebræorū **עֵשֶׁב**, vel **עֵשֶׁבֶת**,
Chaldæorum. Quod & Poetam Ethni-
cum firmare censemus. *in Fast.*

*Nec tu aliud Vestam, quàm vivam intellige
flamman.*

Ecquis jam dubitet, ut nomina ipsa Numi-
num suorum ignitorum ab Ebræis Gentiles
desumfere; ita cultum quoque illum, ignis
habitum, ex eo natum esse, quòd insedisset
in animis hominum illa, quæ à Judæis mana-
vit notitia de inflammatis cœlitus victimis:
quod ita illi intelligebant, ut Deum ipsum
flammea specie ex alto delapsum, victimas
absumfisse crederent? Ex quo fonte & illa
de Prometheo fabula videtur fluxisse, quem
Poetæ finxerunt, ignem è cœlis surreptum
in terras detulisse.

Ve-

Verum cultus quoque hujus non minima causa viderur fuisse accurata illa ignis cœlitus accepti custodia apud Judæos, quorum Sacerdotes in hoc vigilare oportebat, uti ignem illum cœlestem, tanquam Divinum depositum, ne unquam periret, summa cura, adpositis lignis aliisque fomentis jugiter alerent, æternumque conservarent, quò Sacrificiis omnibus peragendis præstò esset, qui adhiberetur. Lev. VI, 12, 13. De qua servandi ignis cura aliquid Gentiles inaudiisse, augurio ducimur minimè fallaci, quòd eorum Sacerdotibus similiter hæc data fuerit provincia, ut sacrum illum ignem, præstigiis Dæmonis desuper acceptum, continuis alimentis, ne exstingveretur, foverent, ac summa Religione enutrient. Fecere id Ægyptii, quos supra memoravimus: ac Diodorus vult, *servandi ignem perpetuum, cœlesti similem, morem ab illis natum, & ad alias Gentes propagatum.* Item Afri. Et Plutarchus auctor, in Jovis Ammonis, *λύχνον ἀσβεστον, sive lucernam inexstinctam, arsisse.* de Defectu oracul. Silius videtur, & in ipsa ara flammam statuere, ubi de hoc templo, L. III. init.

In resticta vocis servant altaria flammæ.

De Indis Ammianus, Lib. XXIII: Brachma-
nes ferunt, si justum est, credi, ignem caelitus la-
psum, apud se sempiternis foculis custodiri. Eun-
dem morem Græcos tenuisse, & custodiam
istam mulieribus coenubio solutis deman-
dasse, in testem iterum nobis est Plutarchus,
in Numa Pomp. Cappadoces Strabo nobis si-
stet L. XV. Ἐστὶ πυρῆς θεῖα, σηναίτινες ἀξιο-
λογοί. ἐν ἧ τῆσσι μέσοις βασιλεῦσιν, ἐν ᾧ πολλή
τὴ σπουδὴ, καὶ πῦρ ἀσβεστοῦ φυλάττεται οἱ Μά-
γοι. Sunt Pyraethæa, sacella quedam, modica: & in
in medio Ara, in qua cinis multus, & ignem inex-
stinctum Magi servant. Perlas, Procopius L. II.
bell. Pers. Magnum hic Pyraum est (πυρῆιον,
focus, sive, vas igniarium) quod Perse inter
omnes Deos maximè venerantur: ubi ignem per-
petuum custodiunt Magi. Hic est ignis, quem Ve-
stam olim Romani vocabant. Et hi nimirum ii
sunt, qui præcipuam æterni ignis curam sus-
cipiebant, eamque Virginibus Vestalibus de-
mandabant, quæ per vices custodiam hanc
egere, indeq, Dionysio (b) αἱ τὸ ἀθάνατον
πῦρ ἀσβεστοῦ φυλάττεται παρθέναι, hoc est, Ar-
nobio (c) interprete, PERPETUI nutrices & con-
servatores IGNIS, dictæ sunt. Cujus supersti-
tionis, ut cæterarum ferè omnium, archite-
ctus

Etus à Plutarcho memoratur Numa Pompe-
lius, qui exemplum imitatus Græcorum
ignem sacrum in penetralibus Vestæ recon-
ditum posuit, à Virginibus, intemeratæ casti-
tati devotis, colendum & custodiendum.
Quas proinde festiva allusiōe notat (d) Ter-
tullianus. *Rome quidem, inquit, quæ ignis illius
inextingvibilis imaginem tractant, auspicia pœ-
næ suæ cum ipso Dracone curantes, de Virginitate
censentur.* Signatè dicit & ignem curasse
& Draconem: utrumque in imagine futuræ
pœnæ, quam Igne luent inextingvibilis, unâ
cum Dracone inferorum. De Dracone au-
tem illo, quid sentiendum sit, exstat apud Li-
psium, Synt. de Vestalibus.

Cæterùm servando igni ligna adponeban-
tur; sed cum selectu. Plinius L. XVI. c. VI.
*Pessima & carboni & materie Haliphleos dicta,
cui crassissimus cortex atq; caudex, & plerunq;
cavus fungosusq;. Nec alia putrescit facilius ex
hoc genere, etiam cum vivit. Quin & fulmine
sepissimè igitur, quamvis altitudine non excellat.
Ideò ligno ejus nec ad Sacrificia uti fas habetur.
Ex certis igitur arboribus, atque iis potissi-
mum, quæ Numini illi, cui fiebat Sacrificium,
fuerant dicatæ, ligna adhibebantur: eaque
secta esse oportebat.* Homerus Odyss. 3.

M 5

Kia-

— — — Κέασε ξύλα νήλει χαλκῶ. *Scidit ligna immitti ferro, in descript. Sacrificii suilli. Quo fine & Ebraei Lignisecas suos habuere: quales Gibeonitæ erant, quos Josua templi servitio addixit. Jos. IX, 27.*

Utut autem cura diligens alendi æternum cœlestis ignis fuerit habita, extinctum tamen quandoque eum, sacra tradunt, & profana scriptorum monumenta. Sanè quidem Judæorum ignem extinctum esse tempore captivitatis Babylonicæ & conflagrationis templi, Interpretes omnes, Judæi & Christiani, unanimi calculo tradidere. Gentibus autem idem contigisse, *veluti Athenis Aristone imperante, & apud Delphos, templo à Medis incenso, & Romæ, tum Mithridatici, tum civilis bellis temporibus, auctor est Plutarchus, in Numa Pompilio. Et Dionysius non obscurè: Admissum circa sacra Vestalia piaculum tum aliis prodigiis deprehenditur, tum maxime si ignis extinguatur; quod formidolosissimum Romanis habetur, ut perniciem civitati minitans, quacunque tandem causa acciderit. Sed in universum, duas potissimum ob causas hoc prodigium credebatur evenire: vel, Virginum incuria, minus cautè focum sacrum tractantium; ac tum ea, quæ deficere ignem passa erat, à Pon-*
 ti-

tifice maximo, in conclavi abdito, locoque penitus abstruso, lineo velo obtento, flagris cædebat; Vel, læsa earundem pudicitia, quam triginta annos integram servare eas oportebat; ac tùm stupri convicta, ad piaculum hoc expiandum, viva in terram defossa est, teste Juvenali, Sat. IV.

- - cum quo nuper vittata iacebat

Sanguine adhuc vivo terram subitura Sacerdos.
Scilicet, ut nihil illius oculis mortalium expositum amplius superesset: sicut apud Ebræos filia Sacerdotis, stuprum passa, viva cremari, & igne in terram ac cineres redigi, Divino oraculo jubetur, Lev. XXI, 9.

Ignem tamen carere, aut profano uti, priore vel maximè extincto, Relligio nec Judæis permisit, nec Gentilibus. Itaque nova hic reparati ignis audi mysteria. Judæos, è Babylone in patriam reduces, ignem amissum miraculo Divino restitutum accepisse, constans est Interpretum Christianorum sententia. Valeant enim nugæ Rabbinorum, qui absentiam quinque rerum (puta, Ignis: Arce, Urim & Thummim, Olei unctionis & Prophetiæ) in secundo templo commenti; sed tenui tibicine fultam: ut ostensum non nuper ab *Excellentissimo Dn. Præside*, conspe-
ctum

ctum Templi Hierosolymitani Auditoribus suis exhibente. Quo verò modo restitutio illa contigerit, non omninò inter Doctores Christianos convenit. Nam qui secundi Macchabæorum libri auctoritate tenentur, ita hæctenus credidere, quod imminente captivitate, Sacerdotes ignem cœlestem templo elatum in profundo puteo absconderint, eaque soluta, aqua crassa illius loco reperta fuerit, quæ altari illata inter sacrificandum, Divino miraculo, rursus in ignem fit conversa, uti quidem habetur *II Macch. I, 21 seqq.* Quibus autem libri hujus fides & auctoritas dubia est, iis aliter visum: ut ignem illum, qui in primo templo erat, prorsus perisse, pro eo autem alium novum populo suo Deum clementissimum cœlitus indulgisse, statuunt; ad eum modum, quo primitus, à lege in Sinai lata, ignem de cœlo delapsum diximus.

Atque ita olim Gentilibus quoque visum, qui non aliunde, quam de cœlo, ignem semel amissum reparari posse, persuasi fuere. *Dicunt (ait Plutarchus l.c.) si fortè quandoq; ignis deficiat, nequaquam decere ex alio igne accipi, sed novum & peregrinum elici oportere.* Quod tamen ipsis absque miraculo, non nisi natura-

ra-

ralibus mediis, fuit peractum: Vase nimirum aeneo pellucido, trium angulorum, ad solis jubar exposito, detentoq³, eò usq³, donec radiorum repercussu vibratuq³, & collectione calore aucto, aridus fomes, ex adverso collocatus, ignem inde conciperet: ut videas, voluisse quidem Dæmonem prodigia Divina quadantenus æmulari, sed non potuisse semper pro lubitu suas liberè exercere præstigias absque speciali Dei permissu; cujus potentiam agnoscere, ac suam contra impotentiam, tempore Baalitarum, in publicis comitiis prodere necesse habuit, I. Reg. XI/IX, 26. Hoc tamen memorabile est, quod de Æmilia, Virgine Vestali, Valerius M. (e) memorat: eam, quum extincto sacro igne, quem ipsa tum asservabat, de castitate suspecta, falso crimine periclitaretur, ita Dæ auxiliò securam præstitam fuisse, ut, quum precibus ad eam factis, carbasum, quam induta erat, foculo imposuisset, subito è cineribus flamma emicuerit.


Hæc sunt, quæ de ultimo, eoq^{ue} famosissimo, sacrificiorum actu afferre placuit, non temerè, nisi sacrorum Mystris, aperienda, & antehac perspecta Viris insignibus, in Theologia ac Philologia adyta admissis: Brentio, in *Ley. VI, 1.* Franzio, *Schol. sacrif. patr. Disp. V.*

S.

§.77. Ut & Pelargo, in Lev. VI. & IX. Cornelius à Lap. in Lev. IX. Bonfrerio, *ibid.* Riveto, in Psalm. XL, 7. p. 263. b. Alexandro Neapol. L. V. c. XII. Peucero, de Divinat. Extispicum. Wilh. Stuckio, *descript. sacrif. Gent.* Gyrardo, *Synt. XVII.* Lipsio, *Synt. de Vestalibus, c. ult.* quorum nos opera usos quàm lubentes profiteamur.

Hoc unum addere lubet Corollarium, quod Ebraei tradunt, in igne iste Sacrificia absumente Leonis faciem fuisse conspectam. Quod si verum est, nemo dubitet, Christum, Salvatorem nostrum, quem omnia Sacrificia representarunt, eo quoque adumbratum fuisse; qui est Leo ille de tribu Juda, quiq; immense charitatis suae igne, pro nobis in cruce hostia factus, omnia nostra peccata absumsit, Deoque Patri nos reconciliavit. Quibus doctissimi Fagii verbis, quae exstant *Paraph. Chald. in Lev. IX.* actus sacrificiorum obfigno.

(a) Mayer. *prodr. phil. sacr.* p. 20. (b) L. I. *Antiq. Rom.* (c) L. IV. *adv. Gentes.* (d) L. I. *ad Ilxor.* c. VI. (e) L. I. c. I.



CAP.

CAP. XII.

*Sacrificium consecraria, convivia. Agape Christianorum. Finis Sacrificiorum. Sacrificii Christi, in cruce peracti, representatio in ἀσθηρω-
 Ἰουδαίος Gentilium.*

LICET finitis olim sacris exclamatum est apud Romanos; sicut apud Græcos: λαοὶς ἀφ' ἑσῆς. Et nostra sacra finita sunt, Lector benevole: Sed *ilicet* non prius Tibi acclamamus, quàm ad epulas à nobis fueris invitatus, quæ Sacrificiorum erant adpendices quædam atque consecraria. Adfide ergò, & hisce Sacrificiorum reliquiis nobiscum frere.

Sacrificia suprâ diximus, esse quædam convivia Dei: nunc convivia esse hominum inter se dicimus. Certè enim cum plerisque Sacrificiis conjuncta erant convivia, quæ vel Sacerdotes soli celebrabant inter se, si Sacrificium fuisset expiatorium; vel cum Sacerdotibus simul Laici, qui victimam præbuerant, ac utrorumq; familiares & amici, si Sacrificium fuisset pacificum Num. XIIIX, 9, 10. *Exempla*, si petis damus, tum *sacra*; Judæorum: *Helcana*, qui victimæ immolatæ partes distribuit inter uxores, Annam & Peninnam,

ac

ac filios, I. Sam. I, 4. *Samuelis*, Saulem inaugu-
 randum honorifico epulo excipientis, I. Sam.
 IX, 13, 24. & alio tempore Bethlehemitam
 Isai ad Sacrificium invitantis, I. Sam. XVI, 3.
Salomonis, in templi dedicatione quatuor-
 decim dierum convivium celebrantis, I. Reg.
 IIX, 65. *Davidis*, qui per aëris holocaustis &
 pacificis, cum populo benedixisset, singulis
 portionem carnis, panis & vini iussit distri-
 bui, I. Par. XVI, 3. ac in universum omnium
filiorum Israel, è Babylone reversorum, pin-
 gvia comedentium, mulsa bibentium & mu-
 nera mittentium iis, qui cibum nullum ha-
 berent paratum, Neh. IIX, 19. tūm profana;
 Ethnicorum: *Agamemnonis*, qui Sacrificio
 hecatombæo pro Danæis oblato, convivium
 quoque dicitur adornasse. Iliad. α. *Nestoris*,
 qui unā cum suis Sacrificium epulare
 LXXXI I taurorum celebravit. Odyss. γ. *Al-
 cinoi*, qui cum bovem immolasset Jovi, epulas
 instruxisse legitur summa cum hilaritate.
 Odyss. θ. *Argonautarum*, qui

— — — ἀθανάτοισι θυηλαῖς

Ρέζοντες μέγα δόρυπον ἐφώπλησαν.

h. e. cum Diis rem Divinam fecissent, magnam in-
 struxere cœnam, ut est Lib. I. Argon. apud Apol-
 lon. & *Evandri*, de quo Virgil. IIX. Æn.

Hæc

*Hæc ubi dicta, dapes jubet & sublata reponi
Pocula.*

*Tum lecti juvenes certatim, aræq; Sacerdos
Viscera torta ferunt raurorum &c.*

His exemplis præmissis, nunc porrò pleniorẽ, inter sacra Judæorum & Gentilium, convivia comparationem instituímus. Judæi non nisi ex certis victimarum partibus convivia sua instruxere: quas proinde, sectione facta à reliquis, quæ altari erant imponendæ, accuratè secernebant, adipe & renibus, quandoque etiam cauda, Deo crematis; cujus ordinis turbatores filii Heli Sacerdotis, debitis sibi portionibus non contenti, accipiebant, quæ modò liberet, I. Sam. II, 14. Ita Gentiles non quascunque indiscretè hostiarum suarum partes in conviviis adposuere, sed quas decebat, adipe & coxis Deo consecratis, ut ex superiùs de sectione dictis constat.

II. Nec verò, nisi re Divina priùs peracta, convivari Judæos oportebat: in quod præceptum rursus peccantes filii Heli, partem suam præripiebant, anrequam Domino adeps adoleretur, I. Sam. II, 13. *Curabant, inquit Rabbi Ben Gerson, prius suam mensam quam Dei.* Quibus multò modestiores Gen-

N

ti;

tiles, Sacrificio non nisi finito, vesciebantur; ut illud ideò proverbio jactatum sit: *Haut immolata sacra sepe devorat, in intemperantes & ventri deditos.*

III. Locus comedendi sacer erat, perinde ut ipsum epulum. Unde phrasis Scripturæ: *Comedere coram Domino*, eo scilicet loco, cui Deus peculiariter præsens est, Deut. XI 1, 11, 12. Pari modo Gentiles in ædibus sacris convivia sua agitarunt, ut vel ex Jud. IX, 27. patet; itemque ex eo, quod Livius de Romanorum Tibicinibus (qui Judæorum Levitis respondebant) tradit, solitos eos jure suo *in æde Jovis vesci, quod traditum antiquitus erat*, Lib. IX.

IV. Ad epulas illas sacras conveniebant Judæorum Levitæ, liberi, servi, ancillæ, viduæ, pupilli, advenæ, Deut. XVI, 11, 14. & quicumque ex familiaribus, amicis, cognatis atque vicinis erant invitati. Similiter Ethnici ad sua illa Sacrificiorum convivia, quos caros habebant, invitabant. Ita Rex Agamemnon Jovi bovem immolans, ut erat *Φιλόστου*, ad illud Sacrificium seniores Græcorum proceres dicitur vocasse. *Iliad. β.* Et Virgil. de Evandri Sacrificio, l. d.

Ve-

Vescitur Aeneas simul & Trojana Juventus
Perpetui tergo bovis & lustralibus exstis.

V. Cum primis verò propter Sacerdotes
convivia isthæc Deus voluit institui, ut ha-
berent, unde viverent, Num. XI IX, 9. Et, ut
curam Sacerdotii singularem suscepisse Deū
videas, ter comendantur Levitæ, Deut. XII,
12, 18, 19. Huc respexit Apostolus 1. Cor. IX, 13.
οἱ τὰ ἱερὰ ἐργάζομενοι, ἐκ τῆς ἱερῆς ἐδίδισιν, οἱ
τῷ θυσιαστηρίῳ προσεδρεύοντες, τῷ θυσια-
στηρίῳ συμπέζοντες. Quorum verborum
emphasin ita nobis Theodorus Beza ex-
primit: τῷ θυσιαστηρίῳ συμπέζοντες,
i. e. altaris sunt socii in dividenda victima. Nam
συμπέζοντες ita accipitur: & de altari lo-
quitur per prosopopæiam, quod una pars velut ab
altari ipso vorabatur, ea nimirum, quæ adoleba-
tur: altera verò Sacerdotibus cedebat ex lege.
Hæc ille, qui porro etiam addit: Id quoq; in
profanarum gentium Sacrificiis observabatur. Re-
ctè. Tale quid enim de Ægyptiis Sacerdoti-
bus Herodotus scribit: Non exiguis afficiun-
tur commodis, nam neq; è re domestica aliquid
conterunt, neq; impendunt; sed eorum singulis
quotidiè cibi sacri cocti præstò sunt, & carni bu-
bulæ & anserine satis abundeq;. Lib. II. Quin,

quod Judæis minimè licebat, etiam reliquias Sacrificiorum in macello venales profuisse, Augustinus meminit, quarum precium ad Sacerdotes redierit, *expos. propos. LXXIIX. ep. ad Rom.* De quo more Apostolus vult intelligi, jubens, *ᾧ ἂν τὸ ἐν μακέλλῳ πωλόμενον, quicquid in macello venditur, Corinthios emere, nihil percontantes, ecquid illud, quod venum proponitur, sit idolothyton, an secus, I. Cor. X, 25.* Cui loco illustrando facit quoque Herodoti testimonium, qui solitos refert Ægyptios pecudum immolarum capita, in forum asportata, Græcis divendere, L II.

VI. Denique hæc omnia deposito mœrore, summo animi gaudio agitabantur: id quod, trita & usitata in sacris litteris loquendi consuetudine, est, *letari coram Domino, Deut. XII, 7. XVI, 11. I. Reg. XIX, 65, 66. I. Par. ult. 22.* qua phrasi gaudium non futile, lascivum ac petulans, sed pium, verecundum moderatumq; exprimitur; quod cum laude & celebratione nominis Divini conjunctum, ceu Deo ipso præsentem, omniaq; audiente & inspiciente. Eodem modo Ethnici, in suis illis Sacrificiorum epulis, cum hilaritatem atque lætitiâ, tum verecundiam atque modestiam

nam adhibendam esse censuerunt; ceu Diis
 ipsis, in quorum honorem illa fiebant, præ-
 sentibus, & auritis oculatisq; omnium, quæ
 agerentur, testibus. De hilaritate, Homerus:

Δαίνονται ἐρικυδέα δαΐτα

τερπόμενοι, καὶ ἴσθιν ἐμέλπετο θεῖος ἀοιδός.

Depascuntur præclaras epulas

Hilares: inter eos autē cantabat Divinus Cantor.

Modestiae verò luculentum testimonium A-
 thenæus perhibet: Antiqui, inquit, cum
 Deos ἀνθρώποειδῆς, h. e. humana specie atq;
 forma præditos esse statuerent, hi ea, quæ in Festis
 fiunt, accommodarunt. Nam cum vidissent homi-
 num impetum, quo rapiuntur ad voluptatem, non
 omninò reprimi ac cohiberi posse; utile autem im-
 primis ac conducibile esse, si his ipsis εὐτάκτως, καὶ
 κοσμίως, h. e. compositè moderateq; uti adve-
 scerent; certo quodam ac definito tempore, &
 prius re divina facta, illos ad animi remissionem
 dimiserunt, ita, ut quiq; eorum persuasum habens,
 ipsos Deos ad primitiarum oblationem atq; libami-
 na accedere, tantò majore cum pudore atq; vere-
 cundia cætus conviviamq; illa celebrarent. L.IX.

Dipnosoph. Hinc iterum Homerus:

Ἦλθε Αθήνη ἱερῶν ἀντήσασσα.

Pallas venit obvia sacris. Et:

Juppiter accessit conviviam sacra: sequuti

Pone Dei simul omnes.

N 3

Vc-

Verum intra hosce cancellos non continuit se effraenis superstitio; sed, ut ad libidinem prona est, tandem in luxuriosam lasciviam, in saltationes, in ludos, in tripudia, in comotationes, quin & in contentiones, clamores & verbera, epulas istas convertit. qua de re videatur Stuckius L. I. Ant. Conv. c. XXXIII. De ludis & saltationibus signatè Apostolus verba Exod. XXXII, 6, 7. adlegat: *Sedit populus, ut ederet ac biberet, & surrexerunt ad ludendum, I. Cor. X. 7.* Id quod notat Junius, in Parallelis, cap XXXVII. *De industria, inquit, operam dedit Paulus, ut ea verba ex tota historia exciperet, quae cum argumento & quaestione ea, quae hic agitur, maxime convenirent. Agitur autem de idolothytis, quorum usus fuit is maxime, ut non solum convivatione publica consumerentur, sed etiam hilaris, ludis, choreis, & saltationibus conjungerentur, prout in illo tempore Israelitae fecerant. Planè ad eundem modum Calvinus, comm. in h. l. Locus hic à paucis ritè exponitur; intelligunt enim, intemperantiam populo causam lasciviendi fuisse, sicuti vulgari proverbio dicimus, alvo bene referto succedere choreas. At Moses de sacro convivio loquitur, h. e. quod in idoli cultum celebrabant. Epulum ergo & lusus ducebant idololatriæ adpendices. Fuit enim tam-*

populo Dei, quàm superstitiosus usitatum, adjungere immolationi epulum, tanquam partem Divini cultus: cui interesse nullis profanis aut immundis liceret. Sacros etiam ludos gentes idolis suis instituebant: quarum ritu procul dubio tunc Israelitæ vitulam suam coluerunt.

Ex hoc verò, post peracta Sacrificia, convivandi ritu *Agapæ* Christianorum traxerunt originem: quarum non Apostoli solùm, Act. II, 46, 47. I. Cor. XI, 21, 33. II. Petr. I, 13. Jud. Ep. v. 12; sed Patres etiam eruditissimi crebrò mentionem faciunt. Namq; ut Judæi & Gentiles actui publico Sacrificiorum solennia etiam addidere convivia, in ipso loco sacro celebranda: ita pariter primævi Christiani, peracta Liturgia S. Eucharistiæ (ita enim Patres ferè omnes, certè antiquissimi, de hoc Sacramento loquuntur, tanquam de Sacrificio, non proprio illo quidem, & strictè dicto; sed, si ita loqui liceat, memorativo veri illius Sacrificii in cruce peracti: quorum testimonia congeffit Daniel Chamier, *Panstrat. Cathol.* & Amandus Polanus, *Symphon. Cathol. cap. XVII. tb. III.*) celebrarunt in ipsa æde sacra cœnam, ad quam omnes, qui de Sacramento Domini participarant, conveniebant, & unà vescebantur ditiores pariter

ac pauperes; quorum illi quidem Panem & Vinum huc conferebant, velut deposita pietatis, quæ materiam simul præberent administrandæ Eucharistiæ; hi verò ab illis invitati (ut apud Judæos moris erat, invitari pauperes) mensæ eorum adsidebant. Clarè hoc exstat apud Zonaram in can. LXXIV. Concilii Laodiceni: *Antiquus mos erat, post communionem Divinorum mysteriorum τραπεζαία & συμπόσια, h. e. coëpulationes & comotationes fieri, divitibus epulas suppeditantibus & pauperiores invitantibus.* Instituebantur ergò potissimum propter pauperes, tanquam mutuae charitatis tesserae & symbola. Qua de re Tertullianus: *Cœna nostra, de nomine, rationem sui ostendit. Vocatur ἀγάπη, id quod dilectio penes Græcos est. Quantiscunque sumptibus consistet, lucrum est, pietatis nomine facere sumptum. Siquidem inopes quoque refrigerio isto juvamus; non quæ penes vos parafiti adfuerant, ad gloriam famulandæ libertatis, sub auctoramento ventris inter contumelias saginandi; sed quæ penes Deum major est contemplatio medicorum.* Apol. adv. Gentil. cap. XXXIX. Ex quo ipso loco simul constat, quàm piè, modestèque ac sobriè (rursus ad exemplum Ebræorum) epulæ istæ fuerint agitatae, quidquid etiam convitiorum in eas evomuerit, im-

impudens os, M. Cæcilius. Id quod postea
 Luculentius tradit Tertullianus: *Nihil vilitatis, nihil immodestie* (convivium Christiano-
 rum) *admittit: non prius discumbitur, quam ora-*
tio ad Deum prægustetur: editur, quantum esie-
rientes capiunt: bibitur, quantum pudicus est uti-
le. ita saturantur, ut qui meminere, etiam per
noctem adorandum Deum sibi esse. Ita fabulantur,
ut qui sciunt, Dominum audire. Post aquam ma-
nualem & lumina, ut quiq; de Scripturis sanctis,
vel de proprio ingenio potest, provocatur in me-
dium Deo canere. Hinc probatur, quomodo bibe-
rit. Atq; oratio convivium dirimit. Hoc verò
 est, non tam cœnam cœnare, quam discipli-
 nam! Cæterum, ut nihil est ab omni parte
 beatum, ita tandem & istæ epulæ, à pristina
 dignitate multum degenerarunt, & schisma-
 tis potius, quam amoris, signa, gulæq; magis,
 quam modestiæ, documenta dedere. Quò fa-
 ctum, ut quæ jam dum ab Apostolo aliquan-
 tulum fuerant mutata, sequentibus sæculis
 in Conciliis Laodiceno & Carthaginensi
 planè fuerint abrogata. Plura vide apud
 Estium, in l. ad Corinth. Comment. & in Ele-
 ctis Excell. Dn. Præf. l. i. cap. XII.

Sub finem, ne convivium nostrum, symposi-
 umque planè sit a symbolum, de Fine Sacrifi-

ciorum pauca addamus: nam, quæ possent
 afferri, omnia huc congerere, chartæ angu-
 stis prohibemur. Quo, inquires, sine tanta
Sacrificiorum onera, & operationum & oblatio-
num negotiosas scrupulositates populo suo Deus
 injunxit? Sanè quidem tantoperè eum dele-
 ctatum pecudum evisceratione & combu-
 stione, nemo dixerit: quin expressè id ipse
 negat, cum *nec carnes comedat taurorum, nec*
sanguinem hircorum hauriat, Ps. L, 14. quæ ver-
 ba mirum etiam Bacchum in Eubuli comœ-
 dia, Semele, de se planè eodem modo usur-
 pare: *Εγὼ γὰρ οὐκ ἐσθίω γλυκεῖαν, οὐδὲ μη-*
ρίαν. Ego neq; *dulci vescor victima, nec femoribus,*
 cit. Clem. Alex. VII. Strom. nec aliàs Ethni-
 cos latuit, μάλλον τὸ δαμόνιον πρὸς τὸ θυ-
 ὄντων ἤθος, ἢ πρὸς τὸ τ̄ θυωμένων πλῆθος βλέ-
 πειν. Porphyr. II. de Abst. magisque illos
 Deo gratos, qui *fibris animoq; litant*, Stat. I.
 Theb. v. 246; quàm qui *victimis, licet opimæ sint,*
auroq; præfulgeant. Sen. I. de Benef. c. VI.

Respondet itaque Tertullianus: *Populum*
prorum in idololatriam & transgressionem, ejus-
modi officii Religioni suæ voluit adstringere
 L. J. adv. Marc. c. XIX. Alias alii rationes
 adferunt. Potissima hæc est, *in eum finem*
statim à Lapsu Adami instituta esse Sacrificia, ut
 me-

memoria promissionis de semine mulieris obtritu-
 ro caput serpentis in Ecclesia conservaretur. Cu-
 jus memoria cum esset apud Ethnicos oblitterata,
 dum ritum observant, sine tamen exciderunt. P.
 Molinæus tr. de Altar. & Sacrif. cap. IV.
 Cui paria scribit, in Exod. XXIV, Bren-
 tius: Patriarchæ obtulerunt Sacrificia,
 significante Spiritu, Sacrificium Christi fu-
 turum, cujus sanguine peccata verè expia-
 rentur. Sic & Gentes retinuerunt Sacrificia,
 non, quòd piè sacrificaverint, quia servierunt ido-
 li, sed quòd Sacrificia à Patriarcha Noe, & filiis
 ejus (ab his enim humanum genus in totum orbem
 terrarum sparsum est) veluti per manus accepta,
 conservaverint juxta externam speciem, & am-
 issa fide, imitati sint tantum opus Patriarcharum.
 Unde & alicubi apud Gentes idololatras mos in-
 leverat sacrificandi homines: quod etsi fuit crude-
 lissimum, & instinctu Satanae factum; apparet
 tamen id factum esse hac occasione, quod à Patri-
 archis predicatum fuerat, hominem venturum,
 qui Sacrificio & sanguine suo placaret iram Dei,
 & expiaret peccata nostra. Itaq; Gentes, ut Pau-
 lus ait, detinuerunt veritatem in justitia. Hæc
 Ille: qui non modò vero sine Gentiles exci-
 disse, sed præterea finem etiam illum, qui fuit
 adumbratio Sacrificii Messia, crudeli ma-
 cta-

Etatione hominum expressisse, nos edocet.
 Quod ipsum & alii docent: Franzius, *Scho-
 la Sacrif. disp. IX. th. LI.* Rivetus, *comm. in Gen. p.
 519.* Stuckius, *descript. Sacrif. gent.* ipseque ite-
 rum Brenzius, *in Lev. I, 2.* & res ipsa loquitur.
 Erant enim ἀνθρώπων θυσιάαι inter Gen-
 tiles hinc inde usu receptæ: quod de Pœnis
 testatur Justinus: *Homines, ut victimas, immo-
 labant, & impuberes aris admovebant, PACEM
 Deorum SANGVINE eorum exposcentes. L. XLIX.*
 Lactantius Carthaginenses narrat, IRATUM
 sibi Deum putantes, ut piaculum solverent,
 immolasse ducentos nobilium filios. | Quin-
 de Gallis Cæsar: *Pro VITA hominum nisi VITA
 hominis reddatur, non posse Deorum immortalium
 Numen placari arbitrantur.* De Albanis hoc
 specialiter proditum, solere ab ipsis immo-
 lari eum, quem crederent SANCTIMONIA ma-
 ximè pollere. Quæ omnia, (aliaque plura, ab
 Ampliss. Viro, Hugone Grotio, *tr. de Satisf. c. X*
 & celeberrimo nostri sæculi Theologo, Geor-
 gio Calixto, *Epit. Theol. Mor. p. 50. seqq.* fusè per-
 tractata) licet præter institutum Divinum
 suscepta, suo tamen modo adumbrarunt fu-
 turum Sacrificium Christi; qui *pax per san-
 gvinem crucis sue facta*, Col. I, 20. servavit nos
ab ira Dei, peccatis nostris accensa, Rom V, 9
*suamque ipsemet vitam profudit, in redemptionis pre-
 cium*

gium pro multis, Mat. XX, 28, cum peccatum non fecisset, I. Pet. I, 22. ipse quippe sanctissimus, Dan. IX, 24.

Pertinent huc exempla Deciorum, Curtii, & aliorum, qui pro patria devoti, ἀναθήματα, περιψήματα & καθάρματα facti sunt: quas voces S. etiam Apostolus usurpat, cum de se; ad testificandum suum erga Judæos affectum, pro quibus non recusaret, ad modum anathematis, ab omnium vivorum commercio abscindi, & longissime disternari; modò illi Christo propiores fierent, Rom. IX, 3. tum de aliis Apostolis; ad declarandum ipsorum, coram mundo, statum abjectum, à quo velut contaminatissimi hominum habeantur, qui sordibus suis terram onerent; dignive, quorù morte scelerantur: quibusve dicatur, quod in mare, ad expiandam urbem, demittendis olim, Suida teste, dicebatur: περιψήματα ἡμῶν γένε. I. Cor. IV, 13

Moris; in super erat, manus victimis humanis post terga vincitas esse, juxta illud Ovidii, III. de Ponto El. I I.

Protinus immitem Trivia ducuntur ad aram,

Evincti geminas ad sua terga manus.

Qui mos sine dubio est ex historia Isaaci: qui, veluti typus Christi, à Patre Abrahamo immolandus, manus sibi vinciri artusq; ligari

ri sustinet, Genes. XXII, 9. ex qua improbū
 etiā illud Molochi Sacrificium videtur na-
 tū, de quo multa Seldenus, de Dīs Syri, Synr.
 I. c. VI. & August. de Quiros, in Deut. XXXII. n.
 17. p. 43. Nam nec ipse Dei populus Sacrificiis
 humanis abstinuit, cujus habemus nobile
 par exemplorum in Jephtha, filiam suam, vi
 voti Deo facti, immolante, Jud. XI, 31. & Re-
 ge Judæ, Achazo, II. Reg. XVI, 3. Nec Majores
 etiā nostros ab hoc scelere immunes præ-
 stiterimus; quod multis ostendit Cluverius.
*Adeò (verba sunt Alexandri, libros Genialium
 dierum obfignantis) ignara superstitio hominum
 mentes depravat, & nonnunquam sapientum ani-
 mos transversos agit. Quantum debemus CHRI-
 STO Domino, Regi & Doctore nostro, quem ve-
 rum Deum veneramus & scimus: quo præmon-
 strante explosa ferarum gentium doctrina, rituq;
 immani & barbaro, veram Religionem edocti, hu-
 manitatem & verum Deum colimus, evictisq; er-
 roribus, & infandis ineptiis, quas prisca coluerunt,
 quid quemq; deceat, & quibus sacris, quâq; mente
 Deum colere oporteat, noscimus! Gratiis ita*

Divino Numini persolutis, nunc,

Amice Lector,

ILICET.

Spe-


Spectamen juvenum politiorum,
Fabrici, decus eruditiorum,
Quos jam nostra sinu fovet Salana;
Dum totum propè Martius per orbem
Grassatur furor, hinc & inde cuncta
Pessundans hominum, modo nefando:
Tu sacris operaris irretortus
Librorum studiis; nec inde mentis
Curas sollicita finis reflecti,
Nec Martis metuis tumultuantis
Ignes & gladios: Dei sed umbra
Protectus, meditari orsa magna:
Atq; urgens graviter tuas opellas,
Thesuros tibi comparas opimos,
Omnes qui superant opes, in Urbe
Quas vestra licet invenire tota.
Nam majus preciosiusve nil est
Doctrinâ, Pietas cui magistra.
Ergo cum referas utrumq; punctum,
Et docti simul & pii Magistri:
Dignus, Patria quem suo favore
Complectatur, & evehat benignè,
Nondum oblita tui Patris laborum,
Is quos sustinuit fide vetusta,
Multo tempore Noricam per urbem.
Artem quodque solum fovet: nec unquam
Mecœnas deerit pio Maroni.

Johan. Major, D.

Tam

Tam nihil abstrusum est, nil tam tegit amplā
verustas,
quin pateant Genio sacra, profana, tuo.
Doctōri Sami si dogmata vera, migravit
in Te Abavi & Proavi mens, animusq; Patris.
Fabricios Tu perge tuos imitariet, atq;
nomen per centum, mittere sēcla tuum.

Paulus Marquartus Slegel.



ERRATA,

quæ invitis nobis remansere, potiora hæc
sunt: P. 40. lin. 20. prosequi. p. 44. l. 4. intelli-
gas. 47. 7. verba: *utrū ex his verū sit*; redun-
dant. 54, 20. aræ holocaustorum. 60, 24. (d) 70
l. ult. quō. 77, 9. beneficia. 78, 10. etiam. 82, 23.
omnia. 91, 16. testatam. 93, 14. ὀδνηθόν. 115, 5.
omnes ipsa infectos. 116, 5. flūine. 117, 22. Pha-
risæos. 119, 19. expiandas. 129, 23. respondet.
l. seq. erat. 134, 24. confiteri. 148. in fine cap. 8
adde: *Ceterum dum hæc agerentur, statim scilicet,
ac jugulatio perficeretur, cantare cœperunt
Judeorum Levitæ, ac similiter Gentilium Tibich-
nes. Sed de hoc ritu jam supra diximus, parte ge-
nerali.* 170, 1. Aug. L. XXI l. contra Faust. Ma-
nich. c. XVI l. 180, 2. Cornelio. Cetera tuo,
Lector benevole, candori committimus.
MELIORA MELIORES.


F I N I S.


194828

(X2619657)

n

VD 17





21

N. D. B.
 Simia, Diabolus,
sive,
 zelia Gentilium,
 um plurimis demonstrata,
 &
 cæ censuræ exposita,
 PRÆSIDE
 rissimo, & Excellentissimo,
JOHANNES
ELE DILHERRO,
 riæ, Historiarum, &
 fessore Publico longè ce-
 Facultatis Philosophicæ h. t.
 atissimo, Præceptore ac Patro-
 no æternùm devene-
 rando,
 à
ANNE FABRICIO,
 Noribergensi.
 D. Januar.

JENÆ
 ESTI STEINMANNI,
 anno M DC XL.

*Quem sic Amica domo
 finis cum officio advenisset
 Preses*